

Hanc confessionem gratam, acceptamque se habere, Rescripto significat Romana Curia; prudentiam eorum, pietatemque commendat; beneque sperat, ut Majorum ipsorum exemplo constantes sint in sana, & Catholica doctrina tuenda, illustrandaque. Quid, quaeso, illud est, nisi Lovaniensis Academiae Majorum doctrinam, simul cum Academia Duacensi superiori seculo in latis Censuris expressam, sanam, ac Catholicam, nec non ab omni Janstenianismi suspicione remotissimam profiteri?

Is non absimile, & publicæ fidei factum adiciam. Anno 1681. Romam contenderat R. P. Patritius Duffi, Ordinis S. Francisci, ab Academia malevolis secreto delegatus. Nonaginta, & amplius propositiones damnandas protulit Innocentio XI., quas a Doctoribus Lovaniensibus doceri obtendebat. Dum interim in Congregatione S. Officii expenderentur, Illustrissimus Favoriti, Summo Pontifici a secretis, & intimæ familiaritatis sacris admotus, earum Exemplar, Academiae communicandum, transmisit ad Belgii Internuntium. Academia vero, propositionibus attente perpenis, ad Romanum Pontificem scripsit die 4. Maii 1682., doctrinam ipsi expressam spectare ad Congregationes de Auxiliis, quibus per omnia stare se velle, significavit. Deinde subjunxit: *Si Theologica Facultatis major super his expresso desideret, illa referat se ad Censuram Lovaniensem, ejusque justificationem, & ad Censuram Duacensem, quæ est conformis, utpote continentes Majorum suorum doctrinam, quam & hodie tradere solet. Cum autem dicta Censura fuerit nuper ab Apostolice Deputatis, Ecclesie Cardinalibus, Capisucco, & Laureæ, & aliis Romæ examinata, & judicata, posse teneri, ac doceri; eadem confidit, suam doctrinam sanam, & irreprehensibilem esse, & ut taliam libere tradi posse, donec per Apostolicam Sedem aliter statuatur. Hoc Academia accepto responso, Propositionum delator causa cecidit.*

Jam vero Theologos Lovanienses quis ita gnæviter impudenter dixerit, ut in caput suum Romano Pontifici ea ipsa in re mentiri voluerint, cujus ipse pars magna fuerat? Quis enim Summo Pontifice melius noverat, probatane, an proscripta ab ipso Censura fuissent? Nulla itaque Lovaniensibus mentiendi hæc in Epistola facultas suppetebat. Aut si eos mentirosos velimus, Censuras prædamatas supponamus; quorum Orthodoxi sunt habitus, eorumque accusator causa cecidit, speque dejectus est, cum primum Censuram doctrinæ se stare, professi sunt? Sicinè abfolvi Romæ solent, qui proscriptam ibidem doctrinam amplecti se, profitentur? Apage nugæ, & machinamenta nequitie.

## CAPUT X.

Hanc ipsam sub Innocentio XI. datam Censuris Belgicis approbationem alia demonstrant.

Nec minus efficaciter probatas tunc temporis Romæ Censuras Belgicas demonstrant, quæ in Belgio, ac in Curia Matritensi post acceptum Breve Pontificum contigerit. Scripsit Lovaniensis Academia ad Summi Pontificis Internuntium, Bruxellis commorantem, ut ei, acceptum a Sanctitate sua, iudicium de Censuris significaret, illumque in communis lætitiæ partem vocaret. Quam vero fronte hæc omnia Sanctitatis suæ diligentissimo, oculatissimoque Administrato obtrudere ausi fuissent, si fe res aliter habuisset? Erat enim ille, qui tam nefariam audaciam compressisset, ne in mendacii, fraudisque partem venire suo silentio videretur. In facti quippe testem hæc in Epi-

stola quadantenus advocatur, quod aliunde pro munere posse debebat, nisi eum ignarum, ac suspitem fuisse, velimus.

Rursum cum, Regis Catholici accepta venia, Legationem illam Deputati Theologi obissent; statim Roma reudes administrationis suæ rationem reddidere die 29. Octobris Duci de Villahermosa, Belgii Proregi, cæterisque Catholica Majestatis Administris, Rerum Romæ gestarum brevem relationem exhibuerunt, qua Censuras approbatas Romanorum Censuram iudicio affirmarunt. Nemo tamen fuit, qui eorum hæc in parte sollicitaverit fidem; tamen rei gesta feriem aliunde Regii Administris compertam haberent.

Duplex Instrumentum subjicio, ne quid ad fidem desit.

Epistola Academiae Lovaniensis ad D. Abbatem Tanarum Internuntium, nunc Eminentissimum Cardinalem, data die 14. Julii 1679.

## ILLUSTRISSE DOMINE,

„ Toti exultavimus heri ad inexpectatum con-  
„ spectum alterius Brevis Apostolice, quo SS.  
„ Dominus, vere amantissimus Pater, dignatus  
„ est Facultatem nostram. Officii nostri esse cen-  
„ surimus, Illustrissimam Dominationem vestram,  
„ primum suæ Sanctitatis in Belgio Ministrum,  
„ nostræque Facultatis, ac Deputatorum nostrorum  
„ fautorem, & patronum, quantocius per  
„ transmissionem hujus exemplaris tanti gaudii  
„ nostri participem facere. Det Deus, ut illud  
„ supremi Pontificis iudicium dispici tandem,  
„ aut compescat multorum linguas, male eos ac-  
„ culantes. Speramus, fore ut talibus testimoniis  
„ sensim pudesant, & obmutescant: Maxime  
„ cum etiam liber Majorum nostrorum in materia  
„ de Gratia, & Prædestinatione, cui titulus:  
„ Censura Facultatum Sacre Theologie Lovaniensis,  
„ & Duacensis, ad preces Deputatorum nostrorum,  
„ auctoritate suæ Sanctitatis jam sit exami-  
„ natus, nec inventa in eo iniquitas; atque hoc  
„ ipsum registratum sit in Actis S. Congregatio-  
„ nis. Perge, Illustrissime Domine, nos intueri,  
„ ut aliquando liberi ab importunis calumniis,  
„ fructuosius laboremus in Ecclesia Dei, juxta  
„ sanctam intentionem Sanctissimi Domini & Ve-  
„ stram, cui fumus &c.

Brevis narratio rerum Romæ gestarum, Belgii Proregi, cæterisque Catholica Majestatis Administris oblata die 29. Octobris 1679.

SANCTISSIMUS D. N. Deputatos excepit cum summa, ac reverentia paterna benignitate: quod ipsum fecerunt Eminentissimi DD. Cardinales, alique omnes Prælati Romane Ecclesie.

Etiam propositus a dictis Deputatis articulos sua Sanctitas benevole admisit, & ad ipsos discutendos deputavit duas hebdomadarias Congregationes, alteram Theologorum, alteram DD. Cardinalium.

Hæ Congregationes fuerunt continuatæ ultra annum, & medium; & novem factæ sunt coram Sanctissimo, aliquando durantes ad tres horas.

Ab his Congregationibus damnati sunt 65. articuli, spectantes ad Theologiam Moralem. Apostolicum Decretum est omnibus notissimum.

Prælati Deputati suæ Sanctitati tradiderunt in proprias manus libellum, cui titulus: Censura Facultatum sacre Theologie Lovaniensis, & Duacensis: & supplicarunt, ipsum examinari, ac judicari. Sanctissimus Dominus illud examen delegavit quatuor Theologis, qui unanimiter censuerunt, libelli doctrinam esse sanam, & ab omni nota liberam; ideo-

ideoque posse teneri, ac tradi: & hoc ipsorum iudicium DD. Cardinales, ac sua etiam Sanctitas comprobaverunt.

Sua Sanctitas Theologica Facultati Lovaniensi adversum suos emulus, eorumque libellos promisit protectionem, & adiutorium; ea tamen lege, ut nullus vindicaret semetipsum, sed ut cuncti suas querimonias deferrent ad Sedem Apostolicam.

Sua Sanctitas ex pleno pectore commendavit tria: nempe concordiam inter Clerum Secularem, & Regularem, plenamque ablationem omnium discordiarum, & scandalorum; item plenam extirpationem omnium novitatum circa venerationem Sanctorum, ac sacrarum Imaginum; nec non circa Sacramentum Penitentiae.

Hæc tria nobis commendavit etiam precigui DD. Cardinales; idque cum summo zelo, & affectu. Et sua Sanctitas, & DD. Cardinales nos cum honore dimiserunt.

Deputatos Lovanienses rem ita Regiis Administris exposuisti, Roma novit quantocius. At tantum abest, ut falsi postulati sint; quin potius, ubi primum rem Lovaniensibus in Regis Catholici Curia Matritensi importune accessivere malevolis futurones, occasione presertim doctrinæ, in Censuris expresse, quam Janstenianismi una cum clarissimis Deputatis insimulabant; Academia patrocinium, datis ad Aulam Epistolis, suscepit S. Pontifex. Id ex præmissa Cardinalis Cibo Epistola compertum est. Officia, inquit, (1) pro vobis ab injuria tuendis, interponere apud Matritensem Aulam, non distulit Pontificia sollicitudo. Idem testatur Illustrissimus Favoriti, Innocentio XI. a secretis, variis in Epistolis, in quibus etiam egregium Deputatorum Lovaniensium doctrinæ, ac pietati testimonium perhibet.

Prima data est Romæ die 6. Aprilis anno 1681. ad D. Van-Vianen, Roma Lovanium jam reversum; in qua inter alia hæc habet: *Dudum in Hispaniam scripsimus, qua Deputatos Lovanienses Sanctitas sua benignitate primæ excepit, & quo ad extremum honore sit prosecuta, & quam magnum sui desiderium, & quam egrogantiam de sua doctrina, & in Apostolicam Sedem egrogantiam, opinionem hinc Aula reliquerit. Iustus propterea fuit Nuntius Apostolicus, si quid Matriti adversus vos moveretur, rem, sicuti est, Regi, ejusque Ministris exponere, & malecolorum calumnias, si que suboriverint, obviam ire. Ceterum pro infamiam, & bonam famam servandum Deo est, & ejus Ecclesie honos vindicandus, resellendis erroribus, & cobibenda laxitate recentiorum nonnullorum Theologorum, qui quotidie magis turbant pacem Ecclesie.*

Secunda mense Junio ejusdem anni ad eundem data est, in qua sic habet: *In Hispaniam scriptum jam fuit Sanctitatis suæ jussu, ut ea Aula certior fieret de paterna Sanctissimi Pontificis in istam Universitatem voluntate, deque rebus, a vestris Deputatis magna cum reverentia in Apostolicam Sedem, & pari cum fructu gestis. Si alia occurrant, in quibus Pontificia benignitas gratificari vobis possit, & Academia studia excitare, Sanctitas sua occasiones libentissime amplectetur.*

Tertia data est die 14. Junii anno 1681. ad eundem: *Scripsi, inquit, quam diligentissime ad Nuntium Matritensem, & quidem pluries, Sanctitatis suæ jussu, ut Aulam illam abducat ab errore, in quem ab emulis Academiae Lovaniensis pertracta est, edoceri a vobis propositiones scandalosas, & non minus politico statui, quam Catholice Religionis periculosas. In irridiam præcipue vocatur Patris Lupus, D. Van-Vianen, & D. Huyghens. Scripsi Luculenter, & detexi malecolorum criminationes, & quam cumulate vos omnes Sanctitati suæ, & Au-*

la Romane satisfeceritis, non sine gravi emulorum dolore, & dedecore.

Hanc ipsam Censuram approbationem attestantur etiam Viri merittissimi, publicæque auctoritatis, qui Romæ tunc temporis versabantur. Prodit in primis idem Clarissimus D. Favoriti, Romano Pontifici a Secretis, cui hujusce negotii arcana patebant omnia: Is enim a nonnullis Doctoribus Lovaniensibus rogatus, ut authentico publicæ fidei instrumento declarari curaret iudicium approbationis de Censuris in Congregatione S. Officii latum, si id præter ipsius leges, ac mores obtineri posset, respondit in hunc modum in Epistola data die 18. Aprilis 1682. ad Dominum Van-Vianen: *Quantum in me erit, admittat, ut authentico aliquo documento confirmetur, quod a Congregatione S. Officii decretum fuit, videlicet, Censuram Lovaniensem inoffenso pede percurrere posse, cum nihil in ea irruentum sit censura, vel animadversione dignum. Nonnulli tamen in verentur nonnullos homines, ex omni re accusandi, & calumniandi materiam arripientes, ut difficillimi sint in refricando negotio jam sopito: admittat tamen. Et in altera, 24. ejusdem mensis data: *Equissimum, inquit, mihi videtur, & multis magnæ dignitatis, civitatis, & prudentie Viris postulare, ut aliquo S. Sedis Testimonio vindicaretur innocentia doctrine Lovaniensis, quæ in Censura continetur, ad obstruendum eo loquentium iniqua. Non omisi, ad instaurandum, ac urgendum, quo tam iusto desiderio ad necessariam defensionem satisfecit.**

Accedit D. Emmanuel a Schellstrate, Bibliotheca Vaticana Præfectus, in Epistola ad D. Hoefslach, Canonicum Antverpiensem, scripta die 26. Septembris 1682. *Quoad libellum, inquit, in quo Censura Facultatis Theologicae Lovaniensis, & Justificatio ejusdem; item Censura Facultatis Theologicae Duacensium in materia de Gratia Dei, & Prædestinatione, annis 1587. & 1588. respectivo conscriptæ continentur, responsum accepti ab aliquo illius rei non ignoro, quod nihil hæc in re definitum sit, neque a Summo Pontifice determinatum: quod tamen ante discessum Doctorum Lovaniensium hic liber oblatus fuit S. Officio examinandum, & post examen a Deputatis desuper factum permissum fuerit, quod in illo continetur, libere doceri; cunctaque a Doctoribus Lovaniensibus petere hæc licentia, & permissum in scriptis, id ipsum negatum fuerit. Hæc sunt, quæ hæc de re intellexi. Et si in aliis opera mea vobis utilis videatur, ut de illa dissondere digneris, etiam atque etiam rogo, mansurus interim Eminentissime Dominationis vestre obsequensissimus famulus, E. a SCHELSTRATE.*

Suffragatur R. P. Joseph Sabbatini, Ordinis S. Augustini, Romana Bibliotheca Angelica Præfectus, & S. Officii Qualificator, nedum in vita R. P. Lupi, in qua libellum inferuit, cui titulus: *Brevis Relatio eorum, quæ Deputati Theologicae Facultatis Lovaniensis egerunt, & obtinuerunt apud S. Sedem Apostolicam; sed & in Epistola ad D. Van-Vianen data die 21. Novembris 1682. Illud pro certo affirmare possum, me quoque audivisse non solum ab Illustrissimo D. Assessore S. Officii, sed etiam ab Eminentissimis Riccio, Casanate, ac de Laureæ, tam Censuram, quam articulos vestra doctrina Congregationi S. Officii oblatos fuisse, necnon a Theologis, pro tali negotio Deputatis, ab omni Censura immunes esse judicatos, quantum S. Congregatio iustissimis de causis illos postremo Decretum firmare noluerit. Nempè repugnantibus ipsis legibus, ac moribus, ne vellicandi, & calumniandi ansam arripiant viri auidiores, & ad aliena opera corrodenda paratissimi.*

Toto igitur aberrat otio Erratorum observator, seque



seque sacri de tuenda fide Senatus formularum ignarum ostendit, dum eisdem publicis tabulis inscriptum objicit ( occasione postulat a Lovanienfibus deputatis Censurarum approbationis ) nihil esse respondendum Oratoribus. Quasi vero tot virorum illustrium testimonio ista repugnet; ac non potius cum eadem conciliari commode possint. Certe cum data verbotenus sacri Senatus Responsa nullam in iudicio fidem faciant, nec pro Responsis habeantur in foro, donec publico instrumento secundum Juris formulas conscribantur; nihil respondendum; ex Curie more dicere solent, quod respondendum Oratoribus authenticum documentum: tunc enim nihil re ipsa ex formularum ratione respondetur.

Instat Historiæ Censor: si tunc ex Curia more probatus Liber censeri debet, dum iudicio delatus, agnitæque causa, lectus, atque discussus, prodit illæsus; nullo decreto, censuræ proscriptus, uti paulo antea dicebamus; quid-ni Molinæ Concordiam, ex more Curie probatam dicere liceat; quæ in Pontificii iudicii sornacula arsit solido decentio, nulloque ex Juris forma vulgato iudicio inusta, proscriptaque est? Perperam sane, atque inficæ. Equidem id fore consequens, non omnino diffiterer, si qui a ferendo, seu verius vulgando in Molinam iudicio temperavit, iudex nullo publico documento significasset, se in aliam tempestatem mittere sancti iudicii promulgationem. Verum cum id, dato partibus distinctibus solemnibus Rescripto, significavit Ecclesiæ Pontifex; motæ litis iudicium sustinuisse censendus est, non delatam Concordiam absolvisse.

## CAPUT XI.

Non absimilis sub Innocentio XII. Censuris Belgicis approbatio data, multis ostenditur.

Is omnibus, quæ hæcenus pro Censurarum Belgicarum orthodoxia diximus, robur addunt, quæ sub Innocentio XII. non ita pridem tractata sunt. Ad sacram Iudicis Congregationem delatus est Tellerii liber, Gallicè inscriptus: *Défenses des nouveaux Chrétiens, & des Missionnaires* &c. Inter multa, de quibus apud Eminentissimos Iudices accusabatur, erat illud, quod adversus Censuram Lovanienfem scriperat, editione prima, pag. 39., & 336. tametsi deinceps in tertia editione aliquantulum emollitum esset.

Causam cognovit sacrum Tribunal sub finem anni 1691., ac deinceps. Dedit per vices viros eruditos, qui de libro referrent statâ die: primo clarissimum Abbatem Fabretti, tum dignissimum Basilicæ S. Petri Canonicum, D. Palaggiu, ultimo Religiosissimum Patrem Borgiam, ex Ordine S. Bernardi, S. Iudicis Congregationis Qualificatorem. Hanc enim indulgentiam cum Auctore habuerunt Eminentissimi Iudices, ut qui, auditò illorum uno, sententiam pro more suo ferre poterant, alios tamen casu cognitores designarent; num forte unus omnium esset, qui librum abolveret.

Nemo ex illis fuit, qui locum hunc de Censura Lovanienfi ( ut de aliis tæcam ) virga dignum non observavit. Hos inter dignissimus Palaggius, qui gesta sub Innocentio XI. paulo curiosius internoverat, eam libri partem graviter perstrinxit; testes etiam ex astantibus Cardinalibus appellans, qui, cum alias negotiis S. Officii prepositi essent, dictis fidem adderent. Recentioris enim Tellerii in Censuram Lovanienfem criminationibus, ita colligebat: *In hoc sane excusati*

vix potest P. le Tellier. Debu erat enim diligenter inquirere, an ita sese res haberet, antequam ipse de tali facto, & doctrina iudicium ferret, ac falsitatis argueret. Et revera ita sese res habuerat, ut Deputati Lovanienfes reuterent; scilicet quod scriptura, per ipsos exhibitâ, fuerit de mandato ipsius Pontificis per quatuor Theologos examinata, a quibus cura ab omni censura immunitas recognita fuerit porrecta scriptura, ita fuit Doctoribus Lovanienfibus per Assessorem S. Officii vocaliter declaratum; quia consuetudo non est sacro Tribunali in huiusmodi negotiis, iudicij dati consulentibus exemplum trahere. Errat ulterius P. le Tellier, dum Censuram Lovanienfem contra Lessium dicit Sixti Pape V. Mandato fuisse suppressam; quia contrarium apparet ex Litteris in forma Brevis ad Oclavium Frangipannum, qui tunc in Belgio Nuntius munere fungebatur. Auditis enim controversiis inter Lovanienfem Theologos, & Jesuitas exoritis, mandat Pontifex eidem Nuntio, ut statim Lovanium ad illas sedandas se conferat; cum Pontifici solummodo, inquit, liceat de doctrina Christiana controversias definire; ac propterea curet, ut omnia scripta, ad prefatas controversias pertinentia, sibi, id est Nuntio tradantur, & tradita transmittantur ad ipsum Pontificem. Nè usquam appareat, vel antea, vel postea Lovanienfium scripta fuisse suppressa.

Quo audito, contestati sunt, qui aderant, Eminentissimi Cardinales, DD. Hieronymus Calanate, & Brancatus de Laurea, ita plane sub Innocentio XI. contigisse omnia: Censuras Belgicæ, longo examinis discussas, illas evasisse, eademque inoffenso, ac tuto pede percurri posse.

De Libro actum erat, cum ecce qui Auctoris causam urgebant, sponderunt, se intra menses aliquot Romæ librum emendaturos, ut eo pacto iudicium efigerent. Indulsi Congregatio, partim Oratorum precibus læcessita, partim Magnatum rogatu benigè inclinata. Inscripuit publicis Congregationis tabulis in hunc modum: *Resultat pro tertia vice Pater Abbas Borgia librum Gallicè lingua, sub titulo: Défense des nouveaux Chrétiens. Cuiusque Secretarius summatis retulisset vota trium Consultorum, qui librum hunc examinarunt, Eminentissimi Domini post diutinam discussionem, convenerunt pro majori parte in hanc sententiam, nimirum non opus esse procedere ad huius libri prohibitionem, dummodo tamen spatio quatuor, vel quinque mensium liber iste corrigatur Romæ.*

Elapso mense altero, rogatur Tellerii Procuratores, Generalem Ordinis Prædicatorum designari sibi, qui emendationis capita præfigeret. Assensit Congregatio, prolixioribus etiam datis inducijs; ita tamen, ut omnia cum Magistro S. Palatii conferrentur. Provinciæ suscepit Prædicatorum Generalis, invito licet, repugnantique animo, ut S. Congregationi morem gereret. Dedit prolixiori scripto emendationum capita, inter quæ istud unum erat, instituto nostro accommodatissimum. *Probare nequaquam possumus, quæ a pagina 336. usque ad paginam 339. prioris editionis continentur, ubi Auctor adversus Censuras Lovanienfem, ac Duacensem invehitur, quasi a Sixto V. notatæ essent, aut doctrinam, Jansenianæ a summis Pontificibus Innocentio X., & Alexandro VII. damnatæ germanam complecterentur; ac velut impostores tradidit Deputatos Lovanienfes, qui Romam sub Innocentio XI. delegati sunt. Id omne falsum penitus arbitramur, necnon Augustiniane, atque Thomistice doctrinæ injuriam; quemadmodum & illud, quod in tertia editionis præfatione addidit ea de re idem Auctor. (1) Certi etenim sumus, Assessori S. Officii injunctum fuisse, ut ea ipsa Lovanien-*

vanienfibus Deputatis significaret, quæ illi deinceps in sua Legationis Narratione exposuerunt.

Verum, ut innotuit litis Actoribus, plura ex Generalis Prædicatorum iudicio eo in libro emendanda fore, quam ut castigata editio Romæ, ut sponderant, curari posset, novumque propediem damnationis iudicium latum iri; ad Summum Pontificem provocarunt. Novos petierunt emendationis curatores, qui mitius cum illis agerent: Reverendissimum Patrem Carolum Josephum Morosum, Ordinis S. Bernardi tunc temporis Abbatem Generalem, nunc vero Episcopum Bobienfem; R. P. Thomam Granellium Ordinis S. Francisci, & Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Qualificatorem, & R. P. Grunterium, Clericum Regularem Minorem; quos multis nominibus sibi devinctos experti fuerant. Hos, tametsi a Tellerii Procuratoribus distincte postulatos, lubenti animo dedit Innocentius XII. Tanta erat ejus in Oratores indulgentia, benignitas, misericordia! Emendationis igitur infudarunt Religiosi Viri anno integro, non sine magnatum, & amicorum stimulis. De Lovanienfi Censura ( alia enim mitto lubens ) una omnium opinio statim fuit, illam nec Bajanan, nec Jansenianam, nec damnatam dici posse; licere tamen Societatis Defensori, eadem a Sixto V. suppressam appellare. Intercessit, qui tunc aliorum negotiorum occasione Romæ aderat, Lovanienfis Academia Deputatus, D. Joannes Libertus Hennebel. De hac ipsa meditata correptione conquisitum est apud Summum Pontificem. Quo audito, expensisque causæ momentis, sancitum fuit, ut nec suppressa diceretur. Sic enim Sanctitatis suæ nomine Hennebelio significavit Illustrissimus Fabronius, Memorialium, ut vocant, Secretarius, ( nunc Eminentissimus S. R. E. Cardinalis ) diebus 5., & 13. Maii 1693. Cumque rursus ex Pontificis nutu adhuc inter se contulissent Religiosi Deputati, an meditata ab ipsis emendatio retinenda, an potius deferenda foret; censuram duo priores contra tertium, a meditata correptione recedendum esse, nec Societatis Apologiam permitendum quidem, ut Lovanienfem Censuram a Sixto V. suppressam diceret: hancque suam definitionem Pontifici dedere die 23. Maii 1693. Idcirco ultimo statum statum fuit die 12. Januarii anni sequentis, ut omnibus invidiosis notis et libro expunctis, omnique femota verborum asperitate, id unum in Societatis gratiam Tellerianæ Apologiæ inscribi posset: *Quod vero ad Censuram attinet, S. Sedes per Apostolicum Nuntium mandavit, ut partes inter se dissidentes ab omni interea disceptatione desisterent, quoad Apostolica sua auctoritate de eorum controversiis, & disceptationibus decerneret: presertim cum illa id persuasissimum habere deberent, B. Petri tantum Successori, Pontifici Romano, licere, doctrinæ Christianæ res controversas definire; alii vero nemini.*

Deputatorum iudicium suum fecit sacra Indicis Congregatio, ad quam, jubente Pontifice, statuta a Censoribus deputatis emendationes transmissæ sunt. Tellerii Librum die 23. Martii anni 1694. unanimi suffragio damnavit, donec corrigatur juxta Censuras a Sanctitatis suæ Deputatis definitas. Quamquam nihil deinceps non moverint causæ hujus Actores, ut Decreti promulgationem impediunt; parati, ut aiebant, universa quamprimum emendare, quæ a Censoribus notabantur: donec Clemens XI. tot illarum circulationum pertæsus, quæ septennio, & eo amplius Ecclesiæ iudicium morabantur, motæ liti magnum diem imposuit, votaque eruditorum absolvit; definitam olim sententiam, in ipso Pontificatus limine vulgari jubens, cujus hic specimen damus.

Sacra Indicis Congregationis decreto damnati, prohibiti, ac respectu suspensi fuerunt infra-scripti libri, ubicumque, & quocumque idiomate impressi, imprimendæ. Nemo casuquam gradus, & conditionis eos in posterum vel imprimat, vel legat, vel retineat: si quis interim habuerit, Inquisitoriibus, seu locorum Ordinariis a presentis Decreti notitia tradat, sub penis, in Indice librorum prohibitorum contentis.

Libri sunt.

*Défense des nouveaux Chrétiens, & des Missionnaires de la Chine, du Japon, & des Indes, contre deux livres intitulés: la Morale pratique des Jésuites; & l'Esprit de Mr. Arnauld, a Paris, 1687. donec corrigatur.*

*In quorum fidem, manu, & sigillo Eminentissimi & Reverendissimi D. Cardinalis S. Clementis, supradictæ Sacre Congregationis Præsfecti, præfatus Decretum signatum, & munitum fuit, Rome in Palatio Apostolico Vaticano, die 22. Decembris 1700. Fr. Thomas Maria Ord. Prædic., Cardinalis S. Clementis, Præsfectus.*

Locus sigilli.

Fr. Julius Maria Bianchi Ord. Prædic., Sacre Cong. Secretarius.

Quid ad hæc Censurarum Belgicarum Ofiores, qui eas, tanquam hæreticas, Jansenianas, ab Apostolica Sede proscriptas, quotidie tradunt; dum non illas tantummodo notas et libris expungit Ecclesiæ Romana, sed nec suppressas Censuras vocari finit? Quid, inquam, ad hæc novissimus Professor Rothomagensis jam a me non semel exagitatus, in publicis Theatris ita de gravi supercilio definiens? *Censure in Lessium, Lovanienfem, ac Duacena, statim Apostolica Auctoritate reprobatæ, ac suppressæ; de quibus quoties Romanam Sedem consulere Censurarum patroni, toties grave responsum acceperunt, eas Romane Ecclesiæ displicuisse, & displicere.* An fit ita profecto, ut loquatur, factis, quæ retulimus hæcenus, hujus causæ documenta in aperto ponant.

At si quid restabat aliud in illarum orthodoxie confirmationem, extremum causæ huic sigillum posuit Innocentius XII. in Brevis ad Academiam Lovanienfem, dato die 6. Februarii 1694. Cum enim prolixas admodum Epistolâ ad Innocentium XII. dedissent meritissimi Viri die 7. Maii 1693. quibus, narrata Censurarum Belgicarum fortuna, expostiquæ singulari sub Innocentio XI. obtenta commendatione, quam Illustrissimus Assessor significaverat, dato illorum alias Deputatis responso, expressam, atque distinctam tandem hujusmodi rerum declarationem in forma Brevis, Censurarumque approbationem postulabant; repofuit Sanctissimus Pontifex Cælestini verbis olim ad Episcopos Galliarum datis: *Profundiores, difficultioresque partes incurrentium in materia Divine Gratiæ questionum, quam latius pertractantur, qui hæreticis resistunt, sicut non audentis contemnere, ita non necesse habemus astruere: Satis inuens, distincta quidem ( ut petierant ) approbatione Censuras Belgicæ, altera non esse opportunum ob incurrentes questiones, quas obiter, & accessione quadam attingunt, dum intrinsecam, quod caput est, divinæ Gratiæ efficaciam exponunt; eadem tamen idcirco contemnere non auctere.*

De his viderint audaciores Aristarchi, qui Censuras illas, tum ob incurrentes inibi questiones, tum etiam forte ob ipsum, quod in eis ex instituto tractatur, doctrinæ caput, usque adeo contemnunt, ut hæreticas illas, atque damnatas effutiant. Celeberrimus est Innocentii XII. Breve Apostolicum, quam ut ab illo in integrum referendo abstinere possim.



DILECTI FILII, Salutem. Tradidit mensibus elapsis Dilectus filius JOANNES LIBERTUS HENNEBEL Epistolam vestram, datam die 7. Maii anni præteriti, in qua humiliter postulatis, ut hujus S. Sedis auctoritate licitum vobis esset, ac liberum continuare in tradenda doctrina Majorum vestrorum, quæ continetur in libro Censurarum Lovaniensis, & Duacensis Universitatum, una cum Apologia Universitatis Lovaniensis, & ab Eadem declarari, doctrinam de Gratia per se efficaci, & de Prædestinatione ante prævisa merita, nullis hæcenus emanatis Apostolicis Decretis damnatam, & enervatam esse, eamque proinde possit teneri, quousque Sancta Sedes ipsa aliter statuerit: Qua in re vestram erga S. Petri Cathedram observantiam, & reverentiam summopere collaudamus. Verum quia, ut S. Cælestinus ad Episcopos Galliarum rescripsit, profundiores, difficilioresque partes incurrunt in materia Divinae Gratiæ quæstionum, quas latius pertractant, qui hæreticis restiterunt, sicut non audeamus contemnere, ita non necesse habemus astruere, nec arbitramur opportunum, ut in præsens habeatur exactior illa de Divinis Auxiliis tractatio, quæ à Prædecessoribus nostris Clementis VIII., & Paulo V. instituta fuit, cum ad confitendum Gratiæ Dei, cujus operi, & dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credamus, quidquid Sedis Apostolicæ scripta docuerunt. Idcirco felicis recordationis Pauli V., & Urbani VIII. Decretis inhærentes, quibus cavetur, ne quisque audeat imprimere, vel quoquo modo in lucem edere Libros, Tractatus, Compositiones, ex professo, vel incidenter, vel prætextu commentandi D. Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quavis occasione, vel prætextu, vel modo, de materia Divinorum Auxiliorum tractantes, sine expressa, & speciali licentia a nobis obtinenda, donec ab hac S. Sede aliter sit ordinatum, Apostolica vos primum auctoritate monemus, ut, sublatis contentioneibus, sapientia, quæ desursum, atque pacifica est, vacetis, proflentes, sicut asseritis, doctrinam præclarissimorum Doctorum Augustini, & Thomæ, quorum ille tantæ scientiæ fuit, ut infer Magistros optimos etiam a nostris Prædecessoribus haberetur, & cujus doctrinam, secundum eorundem Prædecessorum statuta, Romana sequitur, & servat Ecclesia: alter vero mira eruditione eandem Dei Ecclesiam clarificat, & sancta operatione fecundat. Hos dum Universitas vestra doctrinæ duces secuta fuerit, secure pugnabit contra hostes orthodoxæ fidei, in Ecclesiæ gloriam, & edificationem, excitabitque in dies hanc Apostolicam Sedem, ut emulatus ei præstet paternæ Charitatis officia. Vobisque interim Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ die 6. Februarii 1694.

## CAPUT XII.

Fuiles recentiorum quorundam adversus Censuram Belgicam approbationem, Romæ sub Innocentio XI. datam, sive opus, impostura referuntur.

DAtam sub Innocentio XI. Censuram Belgicam approbationem, tot licet testimoniis confirmatam, si etiam non inficiantur, qui veritati, quibuslibet argumentis firmata, repu-

gnare solent, dum Societatis honos in discrimen vocatur.

In arenam pro aris, & focis descendit Erasmus Pilius, sub ascriptioni nominis larva delitescens, in libello, cui titulus: *Gummarii Huygens S. T. D. Lovanii Dogma de libertate sine gratia &c.* Is pagina 75. scribit in hæc verba: *Dum Lovanienses Deputati peterent, ut liber, continens Censuram Lovaniensem, subiret examen, & approbationem S. Officii, responsum eos retulisse: in S. Officio extare Decretum contra editionem, vel publicationem dicti libri.*

Inauditam falsitatem, sola scribentis audacia fultam, sextentis momentis superioribus Capitibus occupatam, & obtritam, publico coram Notariis instrumento propulsavit nuper D. Franciscus Van-Vianen, Lovaniensium Deputatorum unus, Exitat illud in Actis Notarii publici, ut hic habet.

Anno a Nativitate Domini 1688. mensis Maii die 10. comparuit coram me Notario, ac Testibus infra nominatis Eximus Dominus, ac Magister noster Franciscus Van-Vianen, S. T. D., ac Professor Regius, qui dixit, exhibuit sibi fuisse libellum quemdam, cui titulus: *Gummarii Huygens S. T. D. Lovanii, Dogma de libertate sine gratia &c.* auctore Erasmo Pilio; in quo dicitur inter alia pagina 75. Dum Lovanienses Deputati peterent, ut liber, continens Censuram Lovaniensem, subiret examen, & approbationem S. Officii, responsum eos retulisse: In S. Officio extare Decretum contra editionem, vel publicationem dicti libri. *Declarat autem, profectur, ac sustinet, hoc sibi (qui e Deputatis illis fuit) nunquam ab ullo fuisse responsum, nec unquam intellexisse, quod responsum tale, aut asserit Collegarum illius acceperit: paratus coram quocumque legitimo iudice hujus Declarationis suæ fidem facere omni meliori modo, & forma, quam iudex expectare consuevit. Actum Lovanii, anno, mense, & die, quibus supra: presentibus D. Martino Lemmens, & D. Sebastiano de la Derriere studiosis, ut testibus. Signatum erat: FRANCISCUS VAN-VIANEN. Infra habebatur: & me Notario: quod attestor. Egidius denique, Notarius publicus.*

Eandem naniam altioribus tibi modulati sunt P. de Vos, P. van Outers, & novus Apologista Christianorum, & Missionariorum &c. Ut interim de cæteris taceam, risum, & cachinnum movent, quæ ab istorum primo proferuntur argumenta, digna sane, quæ hic exhibeantur ad studiose, & dolose imposturæ dedecus sempiternum. In primis Epistolæ cujusdam Anonymæ Laciniam profert, quasi Roma post facti Inquisitionem missa, in hæc verba: *Verum putat N., quod Deputati illi Censuram cum justificatione obtulerint Pontifici, cum petitione approbationis; quod quatuor constituti fuerint examinatores. . . Sed cum Cardinalis N. intellexisset, rem illam agi, & esse informatum; iussit, ex Archivio proferri Acta in negotio isto sub Sixto V. ab Ottavio Calatino, magnam molem Cartarum: quibus discussis, & Cardinalis, & etiam aliqui ex illis Examinatoribus judicaverunt, non esse progrediendum; & sic nulla facta est approbatio. Affirmat mihi N., sibi dictum a Cardinali N., a Cardinali N., & ab N. Viro in primario officio constituto, nullam approbationem esse factam, & urgentes illos, qui id asserunt, ut illam exhibeant.*

Secundo ejusdem generis pannulum obtendit sub data 23. Decembris 1679. Vestra Epistola fuit remissa ad S. Officium; & lecta in publica Congregatione, obstupuerunt omnes. . . Dein post factum discursum cum D. Assessore de hoc negotio, dixit mihi, ut vobis certificarem, illam Censuram nos esse hic approbatam, nec unquam approbandam, Deo dante.

De-

Deinde personati cujusdam histronis assumentur vendit sub data 12. Septembris 1682. *Accepi vestras cum inclusis Theisibus Domini Van-Vianen de falsissima approbatione Censuræ Lovaniensis, & Duacensis. Ut igitur ego a Ministris S. Officii tertia etiam vice certificar de falsitate istius imposturæ, die Jovis præterita 10. hujus, hora 4. vespertina accessi Palatium S. Officii: parvi audientiam ab Illustrissimo D. Assessore, & obtinui. Protuli Theisem, ille accepit, & legit: mox subjecit: Quid prætentunt homines isti? Respondi ego: Prætentunt, quod Vestra Illustrissima Dominatio die 9. Junii 1679. in Palatio Vaticano dixerit Deputatis Lovaniensibus pro parte suæ Sanctitatis, & sacre Congregationis, approbatum fuisse libellum, continentem Censuram Universitatum Lovaniensis, & Duacensis. Ille intrepide, & minime hesitante respondit: Nunquam tale quid dixi, aut dicere potui. Et mox subjunxit. Immo, inquit, dum peterent, ut iste liber subiret examen, & approbationem S. Officii, respondi eis, in S. Officio extare Decretum contra editionem, vel publicationem dicti libri. Et replicavit: Illustrissimo Domine, reflectat ad circumstantiam loci in Theisibus citati, nempe Palatii Vaticani. Quandoquidem soluta fuit Vestra Illustrissima Dominatio dare suæ audientiam in Palatio Vaticano, ubi nec Camera habet, nec hospitium? Respondit ille, dictum Palatium non esse locum istius ad danda responsa; sed ea dari in aedibus, seu Palatio S. Officii. Hoc etiam sciendum, dictum D. Assessorem non ire ad Palatium Vaticanum, vel Quirinale, nisi bis in hebdomada, nempe die Mercurii post prandium, hora quarta, & die Jovis mane: & non nisi raptim per Aulam, & Custodiam famulis, & Satellitibus Pontificiis, transit in interiori Camera, absque eo quod ulli loquatur de rebus S. Officii, quæ secreto dumtaxat dicuntur, & sine arbitrio. Dies autem 9. Junii anni 1679. incidit tunc in diem Jovis: qua die D. Assessor nunquam solet ire ad Palatium Pontificium, cum non sit dies pro istius audientia, nisi sola dies Mercurii, ut dixi, & dies Jovis mane, quo interest Congregationi. Hæc ad consultantem illam imposturam.*

Papæ quam authentica instrumenta! Quam probatæ fidei Litteras! Scribunt feliciter Domini N. N. N. ad Dominos N. N. N. Qui laudantur in Epistolis Cardinales, sunt Eminentissimi, Reverendissimi Domini N. N. N. An non is, amabo, verius ludus agit, quam litteras scribit? Ita scilicet munire se solent impostores professi: hoc se velo tegere fatagunt falsarii Instrumentorum, & Epistolarum confarcinatorum, ut interminatis calumniis clarissimum, apertissimumque veritatem obnubilent.

Nos aliam viam inimus. Clarissimis Viris N. N. N., qui has Epistolas dedere, opponimus Innocentium XI., Innocentium XII., Cardinalem Cibo, Christianum Lupum, Franciscum Van-Vianen, Illustrissimum Favoriti, Emmanuelem a Schellstrate, Josephum Sabbatini, Viros utique minime personatos. Clarissimis Viris N. N. N., qui has Epistolas acceperunt, opponimus Academicam Lovaniensem, Ducem de Villahermosa Belgii Proregem, D. Tanarum, Summi Pontificis tunc temporis Interuentium, ad sacras Vaticani insulas postmodum assumptum, Regis Catholici Administratos, D. Van-Vianen, & D. Hoefslach Canonicum Antverpiensem: viros certe minime laryatos. Fictitios Cardinalibus N. N. N., aliosque testibus N. N. N., in prima lacinia scenam agentibus, opponimus Cardinales nequaquam theatricos, Riccium, Casaneta, Lauream, Capifucum, qui hujusce negotii pars magna fuerunt; nec non Reverendissimum Patrem Antonium Cloche, Ordinis Prædicatorum Generalem, & Cla-

Serry Tom. I.

rissimum Abbatem Palagium, Canonicum S. Petri in Vaticano; non in angulis, scriptique privatis, sed solemniter in sacra Iudicis Congregatione, in matura negotiorum tractatione, fidem facti facientes. Addimus Censores tres, ab Innocentio XII. ad Tellerianæ Apologiæ examen deputatos. Hinc judicent Viri omnium gentium eruditi, uter nostrum mereatur fidem, in facti, quod expendimus, veritate. Licet vero eorum, quos hæcenus appellavi, jam fato cesserint aliqui; fuerunt tamen ante me pluries appellati, dum viverent, partim a Belgicarum Censuram Apologista D. Gerio, partim a D. Joanne Hennebellio anno 1688. die 6. Maii in solemnibus Theisibus Historico-Theologicis, Lovanii contra Erasmus Pilius publice defensatis: nec se falso in testes adduci, conqueuti sunt Romanæ Curia Principes, alique Viri Clarissimi.

Cæterum, quia simia semper simia, mentiturque iniquitas sibi, vel invita; nequit Epistolæ confarcinator, licet indutritus, sermonem ita componere, quin falsitatis per sese revinceretur.

1. In priori lacinia datos, postulantibus Deputatis, Censuram Examinatores negant; Remature in Congregatione tractatam, dicit; Conquisitas Lovaniensis causæ publicas tabulas; Cardinales, ac Theologos deputatos sententiam dicentes insinuat. In ultima vero S. Officii Assessorum, Deputatos, Censuram examen exire rogantes, illico repulisse, significat, ob commentitium Sixti V. Decretum, jam dudum emissum. Sed & utrique narrationi repugnat novus Christianorum Apologista, qui Lovanienses Deputatos prætracte postulasse, dicitur, ut Sæti V. Decretum rescinderetur: de quo tamen illos postremo dumtaxat monitos, narrat Epistolæ venditores: quasi illud primum ignorasset, ii, aut certe dissimulasset.

2. In altero pannulo scribit personatus homo, sibi ab Assessore injunctam, ut certificaret, illam Censuram non esse approbatam, nec unquam approbandam, Deo dante. Quam belle sacre Congregationis legibus ista quadrat? Quasi vero privatis quibusdam, atque ipsis controversæ liti actoribus provinciam demandare soleat, ut partibus significetur, quid rei sit, quid statutum, quid definitum?

3. In postremo assumento Sancti Officii Assessorem stiprem nobis exhibet larvatus histrio; qui scilicet, D. Francisci Van-Vianen lectis Theisibus, nesciat, quid sibi velit ille, & a Ludione doceri debeat, Theisium auctorem contendere, sibi, suisque collegis ab Assessore significatam verbo tenus Censuram approbationem: quasi id tota Theis aperte non altruat, ac lectoris oculis, mentemque non protinus feriat.

4. Si ita excaudit Assessor meritissimus, ubi Ludione suffragatore cognovit prætenam Theisium imposturam, cur nihil scripto dedit, ut aperta audacia retunderetur? Tametsi enim authenticis documentis probari non soleant libri ad sacram Congregationem delati, quantumvis orthodoxi judicentur; authenticis tamen Decretis auctorum audacia retundi solet, qui proscriptam doctrinam recundat, errorefque suos, Ecclesiæ auctoritate damnatos, probatos mentiuntur.

5. Rabulam nullius plane cerebri se prodit ultimæ Epistolæ confarcinator, dum facti repugnantiam ex circumstantiis loci, ac temporis ostendere nititur. Audientiam, inquit, in Palatio Vaticano dare non solet Illustrissimus Assessor. Equis unquam scripti, datum ab Assessore Deputatis responsum in solito audientia loco? Certe, ut erat illud pressum, atque brevissimum, alia occasione,

E



sione, ac loco dari commode potuit. At, inquit, bis tantum in hebdomada Palatium Apostolicum adire solet Illustrissimus Afferor, diebus scilicet Mercurii, & Jovis: Quasi vero nulla dari possit occasio extra designatis sibi pro publico munere dies Palatium Apostolicum adire. Verum, subjungit, dum Palatium Apostolicum adit, rapim tendit ad interiores cameras, & propter frequens Summi Pontificis satellitum, de rebus S. Officii, quæ secreto duntaxat dicuntur, neminem potest alloqui. Prohi Superi, quæ garulitas! Itane raptim tendit, quin vel ab amico salutari, vel a clariori Viro conveniri, vel a quovis alio, urbanitatis, aut necessitatis officio, interrogari commode possit, & humanitatis obsequiis respondere? Summi Pontificis satellitum itane viros quoslibet, Pontificum Aulam adentes, obsidet? Itane quoquo pergant, insequitur, jungit latera, pender auribus, ut in amplissimo Palatio Vaticanano, quod urbem in urbe sine nominis invidia dixerim; ne verbum quidem privatim, ac in secessu promi possit? Apage nugæ.

Unicum superest, quod tueri se solent desperatæ causæ patroni, Decretum scilicet Urbani VIII., anno 1631. datum, quo nullam Romanæ Curie Decretis, sive Responsis fidem præstandam declarat, nisi sigillo Congregationis Cardinalium, atque Præsfecti, aut Secretarii chirographo munita prodeant. (1) At quis non intelligat vel mediocriter sapiens, id de Decretis, ac Responsis scripto datis intelligendum; cuiusmodi hac occasione nullum pro Censurarum approbatione datum, Theologi Lovanienfes ultro concedunt? Aut certe Decretis, ac Responsis, quovis tandem modo datis, nullam fidem præstandam sanxit Urbanus, ut in iudicio ex legum formulis robur obtineant, & ut religiosum obsequium a fidelibus extorqueant, nisi authenticè scripto consignata proferrantur. Cæterum nisi Summum Pontificem hoc Decreto naturæ principis vim tulisse, rationisque nativum pondus excoiffisse, quis velt; Decretis, Responsisque Congregationum, sigillo licet, & subscriptione minime munitis, humanæ saltem historiæ fidem nec detrahit, nec detrahere potuit, cum testium locupletissimorum testimoniis, aliisque gravissimis momentis genuina comprobantur; cumque iis de rebus agitur, in quibus iuxta Congregationum leges voce tenus responderi solet.

Quo ergo se vertent Lessianæ causæ, Actores, ut vulnus illi celeberrimarum Academiarum Censuris illatum, quoquo pacto obliniant! Cælum forte in partes trahent; & sanctissimum Præsulem Franciscum Salesum, Lessio proprium iactabunt. Extremam hanc tuendæ causæ viam init Philippus de Vos, Epistolam necio quam, Lessio a piffimo Præsule datam obtendit die 27. Augusti 1678, quam integram exscripsit nuperus Aristarchus in Errorum indiculo, ubi de prædestinatione, meritis prævisis nixa, ita fertur pronuntiasse: (2) Sententia illa, antiquitate, sanctitate, ac Scripturarum nativitate nobilissima, de prædestinatione ad gloriam post prævisa opera, sane mihi gratissima fuit: qui nimirum eam semper, ut Dei misericordiam, & gratiam magis consentaneam, reverentem, ac amabiliorem existimavi: quod etiam tantisper in libello de Amore Dei indicavi. Hanc Lessio suo penulam circumponunt officiosi adulatores, qua male multatum caput ab injuriis muniunt. At quid-ni quoque, sub ea officiosa Epistolæ umbella, ejusdem de homicidio, de contractibus, aliisque id genus, ad mores attinenti-

bus, feralia decreta, a Summorum Pontificum, Episcoporum, & Academiarum censuris tuta dicant? Namque opus de Justitia, & Jure, unde tot Lessii proscriptæ sententiæ excerptæ sunt, cen utilissimum commendat idem sanctissimus Præsul, cæterisque hoc de argumento scriptioibus anteponeit. Legi, inquit, ante annos aliquot opus utilissimum de Justitia, & Jure; ubi quædam methodo difficultates, ad eam Theologiæ partem attentæ, expeditè absolutissime, ac longe facilius cæteris omnibus, quos mihi eo de argumento legere contigit. Nos spiritum Epistolam, & viro Dei suppositam dicimus; quam & alii ante nos, uti adulterine fecerunt parum, exstularunt. (3) Ecur enim, si genuina, certa que est, sum ætatis tot inter alias summo studio, & accurata diligentia conquisitas locum nec habet, nec habuit unquam? Maxime cum diligentissimi illius Operum Editores cætera quoque vel minutissima Epistolæ fragmenta publica luce digna iudicarent? Quamquam, si certa, & indubitata siæ contaret; nullum inde Lessianis paradoxis, ab Academia Lovanienti, & Duacensi proscriptis, præditi accederet; cum levem hic scholæ difficultatem duntaxat attingat sanctissimus Præsul, quæ de duplicis vocationis ordine, ad gratiam, & ad gloriam, a Theologis innoxia siæ disputatur; atque id quidem obiter, pro officiosa Epistolæ conditione; de iis vero, de quibus maxime Lessio intentata lis erat, ne verbum quidem habeat.

Sed age, fac, si lubet, si libet, Tractatum integrum de agitatæ ac ætate divinæ gratiæ controversiis adornasse sanctissimum virum; quod tamen nusquam ab illo tentatum, certo liquet: fac, si eo utque fabulari placeat, Lessium absoluisse; quod tamen nusquam illi in mentem venisse, compertum est: quid-ni reponere liceat, quod Eruditissimus Præsul Jacobus Bengnus Bofuetus, Meidenium Episcopus scripsit non ita pridem in Præfatione adversus Institutionem Pastoralem, Cameraci datam die 15. Septemb. 1697. ubi hæc inter alia multa de D. Francisco Salefo notat sectione II. §. 126. Hoc primum principii loco ponam, de quo nulla possit controversia suboriri: honorem viris sanctis, solemnè apostolice cælo adscriptis, ab Ecclesia universa deferri solent, quantusvisque sit ille, non obesse, quominus ea damnari possint, que scripto forte reliquerunt. Quod S. Cypriani, aliorumque bene plurium exemplo confirmat; quorum errores, salva sanctitatis opinione, & nulla delati publici cultus injuria, proferuntur. Tum addit e vestigio: At inquit: eximia sanctitate fuit Franciscus Salefus. . . . . Sic certe: verum non illi idcirco indescientia privilegium arrogandum est. Neque enim quemquam fugere potest, quo pacto, post divini amoris initia, ingenitis humani cordis viribus attributa (quin tamen ad Deum super omnia diligendum assurgant, ut vere dilectionis ratio postulat) æquiori quidem quimo, quam doctrina, probandum sibi sumat, (4) naturalem illum amorem nequaquam inutilem esse; ob id maxime, quod et si hæc una nativæ propensio ad Deum, sicut oportet, diligendum assurgere nequeat, si tamen ea fidenter uteremur, Deus nobis auxilii presto esset, quo possemus ultra progredi: atque ita nos ad supremum amorem sensim eveheret. Certe, dum sacros honores D. Francisco Salefo Ecclesia detulit, non illi mens ea fuit, ut vel dictum hoc auctoritate sua consecraret, vel Theologis aliter sentiendi facultatem adimeret, si quis forte sub sanctissimi Præsulis umbra paradoxum istud in scholæ rursus induceret: Deum iis gratiam elargiri, qui natura-

viribus, quidquid in ipsis est, operantur. Que porro a Sanctissimo Viro hujus sue sententiæ ratio fertur; Deum scilicet iis ad virtutis profectum gratiam elargiri, qui fidem in minimis probant, quique pro virtutibus adiutantur, locum quidem habet in donorum gratuitorum usu, non in idem naturalium. . . . . Quid tandem? Pro ea, que viro Theologo censendi libertas est, pronunciare ausim, D. Francisci doctrinam minus sibi coherentem, & accuratam esse visum iri, qui ejus vestigia presserit, & calcem calcæ triverit. Nemoque non sponte fatebitur, cum pro ætatis, & sæculi genio plus forte in lectandis recentioribus scholæ Magistris studii possesse, quam in evolvendis Ecclesiæ Patrum monumentis.

Et vero sanctissimum Genevensium Episcopum minus secum, in exponendis Divinæ Gratiæ controversiis, consensisse (ut illic Illustrissimus Bofuetus inuit) fed oppositas interdum iniisse vias; ac modo molles recentium opiniones, modo severiora quorundam placita suo calculo comprobasse, fatebitur quisquis Libellum ejus de Amore Dei cum iis contulerit, quæ posterorum memoriæ prodidit Joannes Petrus Camufus, Bellicensium Episcopus, quo is familiariter utebatur. Ut enim Laudato Libello mitiores sæpe sapius opiniones amplectitur; ita propositam sibi, familiari collatione, Petri Camufi sententiam approbasse fertur, quæ gratiam fe ipsa victicem, atque ex supremo Dei in omnes imperio efficacem, cum humanæ Voluntatis arbitrio congruere dicitur, modo ne nobis coactum inferret. Quod sane, ni mitiori interpretatione emolliatur; verèor, ne minus cum Innocentii X., & Alexandri VII. Constitutionibus conciliari possit. Habitat ea de re cum S. Francisco Salefo collationem paulo post soluta Auxiliorum Congregationes, retulit Camufus ipse Bellicensium Episcopus, in opere gallice inscripto, L'esprit du Bienheureux François de Sales, Evêque de Genève, représenté en plusieurs de ses actions, & paroles remarquables, Hoc est: Beati Francisci Salefi, Episcopi Genevensis, mens, ex variis ejusdem gestis, ac verbis, nota dignis, expressa. Ubi hæc habet Parte 3. Sect. 2. de Gratia, & Libero arbitrio, e gallico idioma latine reddita.

„ Ad Episcopatum præmature vocatus sum, „ atque & scholis adhuc recens. (1) Evangelici „ præconis munus, quod concinne, & eleganter „ obibam, ad hæc mihi dignitatem aditum fecit, „ & Henricum Magnum, ut me ad sedem „ Bellicensem designaret, adduxit. Ut vero recens mihi memoria erat Theologicæ Controversiæ de Concordia Libertatis, & Gratiæ, „ qua universa Academiarum Theatra personant, „ Beato Patri (Francisco Salefo) die quadam „ significavi, mirari me vehementer acrem illam „ concertationem, tanto animorum æstu a Theologis agitari solitam. Ecquo enim pacto, in „ quietam, Libertatem læderet, cogereve Dei „ gratia, non suavis modo, immo & suavitas „ ipsa; quæque in corda hominum, roris instar „ in vellus, & stillicidii in terram, illabitur? „ Certe ne gratiæ quidem nomine digna videretur, „ nisi suavitas ipsa esset; cui nihil æque repugnat, ac coactus animabus illatus. Quin etiam, tamen sui ipsius vi nos adigeret, ac rebellis hominum voluntates urgeret, quo Dei „ nitibus obsequeremur, tantum abest, ut nobis „ Libertatem eriperet, quin contra potius, non „ secus ac Moyses, in mann porenti, & brachio „ extenso, ex Egypto, & servituti domo nos eriperet, atque in Libertatem filiorum Dei trans- „ ferret; quandoquidem ubi spiritus, ibi Libertas.

Serry Tom. I.

„ An enim qui e carcere per vim educeretur, „ ac etiam invitus, ut sui juris feret, atque „ mancipii, idcirco minus Liber habendus, quod „ nolens e custodia ereptus esset? Neque tamen „ id statuo, quasi Liberum arbitrium Divina „ Gratia cogi putem; Libertati quippe coactus „ penitus officit. At id unum contendo, gratiam „ ea non dexteritate agere, ut, quidquid Deo li- „ buerit, hoc ut ipsi velimus, efficiat; cordaque „ hominum ita manu tenere, ut ea, absque Li- „ bertatis iactura, quocumque liberit, inflectat, „ ac verset. Sententiam illam meam cum Beato „ Patre communicavi: hæc ille probavit maxi- „ me: dixitque, posse me, inoffenso pede, nul- „ laque veritatis injuria, iis principiis hæere fir- „ miter, quoties pro concione argumentum hoc, „ periculose plenum alex, versare contingeret. „ Je communiquai ce sentiment à notre Bienheureux „ Père, qui le trouva bon: & me dit, que je „ pouvois appuyer là dessus les discours, que je so- „ rois, sur une matière si obéissante, sans crain- „ te de choquer, ni de choquer la vérité.

Quo ex loco cum cæteris collato videas, piffimum Genevensium Præsulem nihil certi de Divinæ Gratiæ questionibus, ea ætate temporum agitatæ, constituisse: sed quidquid primo mentem subiret, id probasse, modo pietatis speciem præ se ferret: Nobisque idcirco ejus opinionibus minus hærendum, quas ne illius quidem animo fixas infedisse, compertum est.

Et hæc de Belgicarum Academiarum Censuris nimis fortasse multa. Sed hæc prolixè dicendi necessitate nobis impositi novus earum accusator, qui vulgato non ita pridem Romæ Veri, ac falsi Thomismi Parallelo, hærefes labem eis aspersit; ipsaque Litterarum capita, virosque superum cultu reverendos, integra lucubratione concidit, asperisque dicituris jocum, ac ludibrium facit. At amaras ipse quoque historias audire coactus est. (2) Nunc demum sermonem ad alia convertimus, nostrosque instituto propria resumimus.

## CAPUT XIII.

Liber Concordiæ Ludovici Molinæ majorum in Hispania discordiarum somitem subministrat, ob contemptam S. Augustini auctoritatem, atque doctrinam. Quid ejus occasione gestum in Lusitania.

Nondum erant omnino Belgii sedata diffidia, cum nova in Hispania excitata sunt. Post repressam anno 1581. P. Prudentii de Montemajori præcipitem velitationem, nihil ibi ultra tentatum scimus ad annum usque 1588, quo Ludovicus Molina, Eborensis Academia Professor, primusque e Societate S. Thomæ Commentator, meditatam ab annis circiter triginta novam liberi arbitrii cum Divina Gratia CONCORDIAM vulgare cepit.

Proscriptis non ita pridem ab Eminentissimo Cardinali Gaspare Quiroga, Archiepiscopo Toletano, ac supremo fidei Quæstore, plerisque dogmatibus, quibus lucubrationes suas Molina reserferat, vetitas merces alio comportare, ac venditare compulsum est. Latæ Censuræ hujus vestitem proferret E. Cardinalem Baronium in supra laudato MS. Codice, ubi Moliniana dogmata ab Archiepiscopo Toletano prædamnata testatur, antequam liber ejus in Lusitania ederetur. Adjungerem Henricum Henriques Jesuitam, qui Molinam districtè ab Inquisitore Castellæ. Censura nequaquam terribim infestatur; nisi fatentem reum haberemus. (3) Is enim passim in Appendice

E 2 CON-

(1) Lege §. x. Præf. (2) In Theol. (3) Paul. Fass. in vanit. Triump. (4) Lib. I. de amore Dei cap. 16. 17.

(1) An. 1608. (2) Vide Præf. §. 2. (3) In Censura anni 1594. vide infra.



CONCORDIÆ Censuram datam agnoscit; ac licet ab ea expedire se utique nitatur, succumbit tamen sæpius, latumque Toleti iudicium ludis, ac facietis excipit, Hispanus licet, & Castellanus. Sic pag. 12. variis propositionem quamdam de Scientia futurorum confirmare fatagit, addit: *Æquumne est contendere, ut propter propositionem unam, de cuius veritate in Regno Castellæ est dubitatum, damnetur tot Doctorem, & gravissimorum Patrum sententia?* Sc. Sic pag. 14. de Prædeterminationibus divini voluntatis differens, præter S. Officium Castellæ voluntatem: *Id, inquit, præstare possumus sine ulla inobediendi periculo, maxime cum illius Tribunalis mandata nos hic nequaquam obligent.* Sic pag. 32. per deridiculum scribit: *Esto S. Officium Regni Castellæ Concilium universale esset, quod errare non posset &c.* Ac paulo infra, cum omnia, de divinis auxiliis a se tradita, ex Concilii Tridentini definitionibus ad amissum ratoprompta dixisset, subiungit: *Cujus rei magis habenda est ratio? Propositionum-ne, quas objectionum auctor asserit, S. Officium Castellæ doceri prohibuisse, eo quod eas magis examinari vellet; an Concilii Tridentini definitivum?*

In Lusitania itaque sedem fixit Ludovicus Molina, ac post diutinam suorum dogmatum meditationem, opportunam faciendæ alex occasione arripuit. Supremi Lusitanie Inquisitoris Officium nuper auspiciatus erat, immatura fati ætate, Cardinalis Albertus, Archidux Austriae, Redulphi II. Imperatoris Frater; qui quam a Matre arctissimam in Societatem devotionem ehiberat, summa cum Francisci Borgia, antea Societatis Generalis, consanguineis necessitudine, ac conjunctione coleratur.

Non desaturum sibi tanti Mæcenatis tutelam existimans Ludovicus Molina, CONCORDIAM suam Liberi Arbitrii cum Gratia donis prælo maturavit. Cumque nihil in Lusitania publicis typis edi solet citra Inquisitionis Generalis licentiam; eam, ut moris est, ubi unius Bartholomæi Ferreiræ, soliti Censoris, approbatione obtinuit. Futuros etiam eventus enunciate naris homo prospiciens, rebus suis provida urbanitate consuluit: librum suum officiosa nuncupatione Generali fidei Quæstorii consecravit, eumque sibi patronum devinxit, quem futurum sibi iudicem præsentiebat.

Vix absoluta erat editio, ac necdum venalis probabat, cum FF. Prædicatores, injecta suscitati Pelagianismi accusatione, publicationi ejus intercesserunt. Multa in Auctorem objecit Dominicus Bannes, atque illud potissimum, quod proscripta non ita pridem a Generali Castellæ Inquisitione dogmata recederet. Advocatus Molina, ut objecta dilueret, iis responsis fidem suam liberare tentavit, quæ postmodum ab ipso in Appendicem redacta, in celeberrimis Auxiliorum Congregationibus, uti Pelagiana, damnata sunt: objectam Inquisitionis Castellæ damnationem derisit, quod iudicii indeficientiam instar Concilii Generalis non haberet; sequæ legibus ejus, quæ in Lusitania versaretur, nequaquam obstrictum, invereconde respondit.

Sustinuit responsionis audaciam Principum gratia, Molinæ causam apud Inquisitorem silium, jam satis ad gratiam propensum, promovit Sereñissima Augusta Maria, Societatis obsequiis devotissima; protexit potentissima Borgiadum familia; quasi hujus honor cum Societatis iactura periclitari videretur. Nec solum Inquisitoris animum prædilectissimæ preces commoverunt, sed & dignitate, ac proprii nominis ratio. Timuit scilicet,

ne si lati a Generali Castellæ Inquisitore iudicii rationem haberet aliquam, ejus se legibus obligatum foret, cui tot natalium, ac dignitatum titulis longe superior habebatur. Data etiam semel typorum venia, susceptaque libri officiosa nuncupatione, ab impenso patrocinio retrocedere, atque (ut vulgo dicitur) Rubicone transmissio pedem referre, pudor fuit. Quare, nulla nova juris tentata forma, tanquam nihil obesset, quominus curata editio publicam prodiret in lucem, Molinam, ejusque librum propria fortuna permisit. Ne autem supremus Castellæ fidei Quæstor, contemptam Censuram suam grave ferens, in Molinæ librum inquireret, ubi primum intra jurisdictionis suæ fines circumferretur; fulmen avertendum curavit petita ad libri publicationem Castellana, & Arragoniæ Curia licentia, quam ex Lusitania Censoris fide, Hispani cognitores ex facili concesserunt.

Justitias judicare nolim, viderint æqui rerum æstimatores, eanè dicendi, æquæque ratio præscriptis juris formulis iusto respondeat. Nihil tamen æque festivum est, quam quod Molina, cæterique deinceps Societatis Theologi de obtehta Lusitanæ Inquisitionis imprimendi licentia iactantur. (1) Hanc (superbo trium Conciliorum, Castellæ, Arragoniæ, Lusitanæ nomine celebrat Molinæ in Appendice, ceteri passim iudicii, ut vocant, contradictorii titulo magnificant: sic enim Viri boni amplificare res suas solent. At quantum aberret a vero superba iactantia, perspicierit, quisquis rem paulo attentius consideraverit. Quæ etenim Lusitanæ Inquisitionis, Curiaque Castellana, & Arragoniæ imprimendi licentia iactantur, sub unius dumtaxat publici Censoris approbatione, cæterorum librorum forte, concessa est. Nec post Prædicatorum intercessionem alios ad examen deputatos Censores fecimus; quorum certe si quæ suffragia fuissent, ea cum Bartholomæi Ferreiræ censura libro suo Molina præmississet. Sic ut tota tandem Moliniana CONCORDIÆ approbatio, tot titulis magnifice predicata, in unius Censoris suffragio hæreat, qui ante delatas querimonias subscriptionem rogatus, nihilque tunc temporis suspicatus mali, incircumspecto annuit; aut etiam forte, (ut sæpius inter amicos usu venit) nulla libri præmissa lectione, subscripsit. Fucum itaque facit personatus Societatis Actor in supplicii Monitione, Archiepiscopo Rhemeni facta, illudque confidentius, dum eam Bartholomæi Ferreiræ Ordinis Prædicatorum approbationem plus æquo magnificans, ita scribit: *Dum Molinæ Liber a nonnullis Ordinis Prædicatorum Patribus ad Inquisitionis Lusitanæ Judicis delatus est, a R. P. Bartholomæo Ferreira, qui Supremo Inquisitori a consiliis erat, absolutus est, & ab eo non sine laude approbatus.* Quasi vero post Prædicatorum expostulationem injectam, suum ille Molinianæ Concordiæ suffragium dederit, atque ipso etiam Inquisitionis accedente consilio. Ita ludunt, illuduntque nugaces, ut sua magnificent arrogantiis; cum contra potius ea qualiscumque approbatio Ferreiræ ante ad huc suberat mali suspicio, nulla querela, quæ supinum, ac desidem Censorem excitaret, ut intenderet animos. Prudentius sane de ea Ferreiræ approbatione pronunciat Henricus Henriques e Societate in sua contra Molinam Censura, de qua proluxior nobis sermo erit: *Liber, inquit, de CONCORDIA approbatus solum fuit in forma communi a P. Bartholomæo Ferreira, cui commissum est: & quod ille cursum non advenit, potuit ab aliis, mature Librum legentibus, animadverti Censura dignum.* (2)

Sed

Sed & ante Henricum Baldinum Rythovius, Regius in Academia Duacena Theologiæ Professor, Joannem Deckerium, eandem illam Ferreiræ approbationem superbe iactantem, reuderat in publica Declamatione, anno 1589. (1) *An quia unus Deputatus sacra Inquisitionis, ac Librorum Censor reatus est, in Opere Molinæ nihil a se animadvertit esse, quod nostræ Religionis adversetur, &c. ideo nihil in eo est, quod illo nomine mirari, aut improbare quisquam possit circa calumniam?*

Tam aperta virorum, omni exceptione majorum, testimonia nihil moratus Leodius Disputator, veteres suorum nenas ingerit; iudiciumque Inquisitionis Ulyssipponensis, auditis partibus, constitutum fabularum Quæst. 1. Cap. 4. Bannesii objecta, una cum Molinæ responsis a selecto Theologorum confesso (quos inter Prædicatores nonnulli essent) discussa inquit, mandante supremo fidei Quæstorio; quorum ea demum sententia fuerit, Moliniam accusationis capita cumulatissime diluissit; tanquam abesse, ut quidpiam censura dignum edito Libro commentus esset, ut contra potius doctrinam admodum utilem, sanam, Scripturis, Conciliis, ac Patribus consonam tradidisset; (2) quo demum audito iudicio, Bannesius formula cecidit, vulgandi que Molinæ Libri venia facta est. Supremi Quæstoris fidem appellat Molinianus Disputator, qui cum, exacto decennio, Molinæ causam ad Apostolicum Tribunal translata inaudivisset; totius rei seriem, datis ad Clementem VIII. Epistolis, exposuit, quo tempore abdicata Purpura, & supremi Quæstoris officio relicto, Valentia Isabelam, Philippi II. Hispaniæ Regis filiam, nuptum acciperet, Epistola laciniam inscribit in hæc verba.

Beatissime Pater.

Quo tempore Regnum Lusitanie, & sanctam ibi generalem Inquisitionem gubernabam, oblatus mihi fuit supplicis libri adversus Librum Patris Ludovici Molinæ, Societatis Jesu, de Concordia Liberi Arbitrii cum Gratia donis, divini præsentia, & Prædeterminatione. Et ut in eo negotio mature procederetur, post communicatum cum Senatu Inquisitionis materiam, datum est Doctori Ludovico Molinæ transumptum objectionum, factarum contra ejus Librum, quibus ille respondit; & ego præcepi, ut tam objectiones, quam responsiones ad eas perlegerentur, & excuterentur a personis doctis, & gravibus, & inter has ab aliquibus Patribus Ordinis S. Dominici: a quibus cum esset competentum, nihil esse in Libro, quod Censuram promeretur, imo potius continere doctrinam valde utilem, sanam, & conformem Scripturæ, Conciliis, & Patribus; & quod Auctor omnibus, que opponerentur, solide satisfaciebat, ut liquet ex decreto hujus S. Inquisitionis: his visis, facta est copia Libri in lucem edendi, qui statim prodit. De quibus vestram Sanctitatem admonere volui; quoniam percipio, nunc de novo hanc eandem materiam Romæ pertractari; atque eosdem, qui apud me in Lusitania de opere illo detulerunt, modo ad vestram Beatitudinem recurrere, ut in Librum censura feratur. Atque hæc ut representarem motus sum, tum quia est æquum ita fieri, tum quod Auctor efflagitavit, tum præcipue ut vestra Sanctitas per me, qui omnia novi, edocta, statuat, quod de tam gravi negotio magis expediat; in quo & mea præclitatur Auctoritas, & sacræ generalis Inquisitionis Lusitanæ Regni; & utraque omnium tam Catholicorum, quam

hæreticorum oculis exposita est &c. . . . .  
Supremo olim Quæstorio aditipulatore adjungit Joannem Borgiam, Mariæ Imperatricis Palatii Præfectum, qui hoc idem, delegatis ad Clementem commendatis Epistolis, significavit die 8. Junii anni 1601.

Quis non hic animo pendeat? Immo quis non tam aperta, tanque distincta supremi Quæstoris testificatione moveatur? Verum aut fallit, aut fallitur Molinianus Disputator, interpolatam Epistolæ laciniam ostentans, (3) aut delusus ipse, aut alios ludens. Jesuita Sherlogus, a quo primum edita in lucem est, eandem, latine reddendo, corrupit primus, aut certe ex vitio codice descripsit imprudens. Nihil quippe in autographo legere est de ea selectorum Theologorum delegatione, de lata ab iisdem sententia, de probata Molinæ doctrina: quo tamen uno iudicium, auditis partibus, constitutum evinci potest. Do integram, ac genuinam Archiducis Epistolam, qualem Societatis Actores anno 1606. cum aliis Molinianæ causæ Instrumentis Paulo V. secundo repræsentarunt, ut illum a ferendo iudicio retraherent. Extat in Commentariis Coronelli, volumine notato cæ. quo habetæ de Gratia per se efficaci Disputationes continentur.

Beatissime Pater.

Post humillima pedum oscula Sanctitatis vestrae, Eo tempore, quo Lusitano Regno, unaque illius generali Inquisitioni præerat, adductæ sunt ad me petitiones quædam adversus Librum, quem typis mandaverat, edideratque in lucem Ludovicus Molina, e Societate Jesu, de Concordia providentiæ, & Gratia Divinæ cum libero Arbitrio hominis. Quod ut mature deliberarem, feci ut res communicaretur, discutereturque cum Consiliariis ejusdem generalis Inquisitionis, in cuius Tribunali illæ diligentiæ factæ fuerunt, quæ ex Actis, & Decreto ejusdem generalis Inquisitionis apparebunt, Et cum intellexerim, nunc denovo examinari, censurarique coram vestra Beatitudine propositiones aliquot ejusdem Libri ab eisdem, qui in Lusitania rem ad me detulerant; humiliter peto a Sanctitate vestra, ut dignetur favorem suum præstare huic causæ, in conformitatem eorum, quæ generalis Inquisitionis Lusitanæ, & Castellæ tribunalia, simulque consilia Regalia Castellæ, & Arragoniæ, quæ hunc libellum examinarunt, decreverunt. Id namque gratissimum erit, si quod unquam, & mihi gratiam hanc, & singulare beneficium præstitum existimabo, propriumque, & peculiare dicam. Deus Optimus Maximus Beatam Sanctitatis vestrae personam mihi suæque Ecclesiæ valentem, florentem, que conservet? Valentis die 26. Aprilis anno D. 1599. Sanctitatis vestrae Obsequentissimus filius ALBERTUS.

Hujus exempli fide nou modo vulgata a Jesuita Sherlogo laciniam spuriam probo; quin etiam nihil ex forma juris in Molinæ causa a sacro Lusitanæ Quæstorio pronunciatum evincit. Enim vero scribebat ad Molinæ gratiam Sereñissimus Princeps, Societati devotissimus, ut Pontificem a ferenda in eum sententia dimoveret; seu proprio honore consultum vellet, quem una cum ejus Libro periclitari existimabat. Nihil itaque dubitandum, quin sua illa Epistola exposuerit, atque exaggeraverit universa, quæ & causa iuvant, & magna de Concordiæ Libro excitari possent opinio. Attamen nihil ille de lato Ulyssipponis iudicio distincte habet. Rem duntaxat cum sacro Senatu

(1) Molina in Edit. Ulyssip. p. 34. Valentia. Arrubal. Ripalda. Henao. Ortega, Auctor libelli famosi contra Archiep. Rhemenf. (2) Librum Concordiæ a Ferreira cursum abmaximè lectum, notat Henricus Jesuita in citata Censura.

(1) Extat Declamatio in Append. N.V. (2) Hoc idem recantatur in Erratorum Indiculo, Art. 14. (3) In Apolo. scientia med.



natu communicatam innuit, datam in Regno Castellæ, & Arragoniæ vulgandi Libri licentiam ostentat, pro officio Epistolæ conditione. Cæterum delegatos ad examen Theologos bene multos, discussa accusationum capita, probata Molinæ responsa, doctrinam ab erroris suspitione purgatam (quæ omnia sententia ex formula constituendo necessaria erant) silentio mittit.

Quid plura? Senatus ipse Lusitanæ Inquisitionis, qui data semel Lusitanæ licentia, posthabita Prædicatorum intercessione, famam suam in eisdem damnatione verti existimabat, efficacissimas Clementis VIII. dedit Epistolas die 9. Martii anni 1599., quæ causam ejus, imo verius suam orabat, quo imminens capiti fulmen averteret. Quid ante annos decem, dum de edendo, vulgandoque Molinæ Libro questio fieret, in sacro Senatu contigisset, minutatim exposuit, ut viro, in hæreses suspitionem adducto, patrocinaretur, suamque agendi rationem Pontifici Maximo approbaret. In unam tamen Bartholomæi Ferreiræ approbationem omnia recidunt, quam, ostentato Prædicatoris, ac publici librorum Censoris titulo, superbe efferunt. Hac una Lusitanæ Inquisitionis de Molinæ Libro Judicium concludunt: hac una datam edendi, & publicandi veniam, quæ apud Romanos male audierat, æquissimam probant. Qui, quæso, fieri posset, sacros Senatores in eo, quo tenebantur liberandi Molinæ, propriæque tuendæ famæ desiderio, minutis unice intentos, rei caput, quo stat iudicium, ut vocant, *contradictoris* forma, omisissuros fuisse; delegatum scilicet Theologorum consensum, qui, discussis Bannesi criminatibus, & Molinæ responsis, doctrinam ejus universam, utilem, sanam, Scripturis, Conciliis, ac Patribus consonam pronunciafent? Accipe sacri Senatus Epistolam, & Judicium Ulyssipone, auditis partibus constitutum, fabulis accense.

Beatissime Pater.

Post sanctorum pedum oscula.

De licentia hujus Senatus generalis Inquisitionis Lusitanæ, non paucis ante annis, Inquisitore tunc generali Cardinali Archiduce, impressi sunt Commentarii P. Ludovici de Molina, Societatis Jesu, de Concordia Liberi Arbitrii cum gratiæ donis &c. habita prius honorifica approbatione Patris Bartholomæi Ferreiræ, e Dominicana Familia, publicicque tunc in hoc Senatu librorum Censoris: quæ approbatio in fronte Libri præfertur. Nihilominus accepimus, ejus Libri doctrinam graviter à nonnullis Theologis in Hispania fuisse oppugnatam, tandemque ad iudicium summi istius Apostolatus, unde omnis certæ doctrinæ Censura pendenda est, causam esse delatam; hujusque cognitionem a V. S. certis deputatis commissam. Cum igitur in eo Libro approbando, hujus Consilii Auctoritas, quæ ex delegatione Apostolica exiit, interposita sit, ac proinde in Libri periculo eadem auctoritas modo aliquo periclitetur; oportere visum est, id exponi Sanctitati Vestræ, prout facimus, humiliter supplicantes, ut jubeat dignetur, communicari huic Consilio objectiones, quæ ejus Libri doctrinam in discrimen adducere videntur, dato nobis spatio congruo ad transmittendam satisfactionem, quæ reddi posse videbitur, nihilque interim contra ipsum Librum statuendo. Quidquid tamen Sanctitati vestræ circa totum hoc negotium disponere placeat, submisit, & obsequentissime, ut par est, animo, conformique iudicio excipiemus. Ulyssipone, in Mensa Senatus generalis Inquisitio-

nis, vacante officio Inquisitoris Generalis. SENATUS GENERALIS INQUISITIONIS.

die 9. Martii 1599.

Dispuncta nunc adulterina Archiducis Epistola, alteram Joannis Borgiæ laciniam, ex ipsidem Sherlogi lacunis eductam, minus moror. Equis enim interpolatori, quem mox in manifesto deprehendimus, integram fidem dabit; ac non potius eadem audacia utramque Epistolam interpolatam existimabit? Namque *semel malus, semper presumitur malus, in eodem genere mali.* (1) Quamquam, si integram poneremus, non utique cum genuina Archiducis Epistola, multo minus cum sacri Senatus Literis conferenda esset. Quis enim, amabo, Imperatorii Palatii Præfectus, nullis unquam in Senatu Lusitanæ Inquisitionis numeribus sanctus, de rebus; inibi ante annos duodecim agitat, nosse poterat? Nihil sane, nisi quod ab illis ipsis acceperat, qui Epistolæ commendatitiæ beneficium precabantur, ipsique fortasse scriptio- nis formulam ministrarunt. Nihil de Joanne Borgiæ suspicari non licet, quem sanguinis vinculo, ac politici rationibus, totum in Societatis ære fuisse, nemo nescit.

Sunt quidem & Societate nonnulli, (2) qui Bartholomæo Ferreiræ Joannem de las Cuentas, Castellanae Provinciæ Ordinis Prædicatorum Moderatorem, Molinæ approbatorem adiungunt, eoque pacto subsidiarias copias augent. Id avide ex suorum suffragio confectum arripit personatus iste Societatis Monitor: *Molina liber*, ait ille, *plene absolutus est suffragio Joannis de las Cuentas Dominici, qui subinde Episcopus fuit Avulensis, & qui tunc temporis Cardinali Duci Alberto a Confessionibus erat.* Verum anilem fabulam non exsulant modo præsentis Historiæ documenta, Moliniana CONCORDIÆ exemplaria universa, a quibus hæc approbatio procul abest; cæterique passim Societatis scriptores, qui unicum Ferreiræ Molinæ approbatorem venditare solent; sed ipsa maxime facti repugnantia palam, aperteque revincit: adeo ut mirari omnino subeat, futile adeo, putidumque figmentum in cuiuspiam animum venire potuisse. Ille etenim Joannes de las Cuentas, Castellanae Provinciæ Caput, ac Serenissimo Principi Archiduci Alberto a confessionibus, eorum fuit unus, qui Molinæ ipsi litem moverunt, ejusque Librum, dato sacre Inquisitioni Generali, & Apostolica Sedis Nuntio prolixo libello, pessimæ fidei, ac suscitati Pelagianismi postularunt. Exiit etiam unum libelli hujus autographum Roma inter instrumenta, ad Congregationem de Auxiliis spectantia, de quibus paulo infra dicemus, sub hoc titulo: *Apologia FF. Prædicatorum, in Provincia Hispania S. Theologie Professorum, adversus quasdam notias assertiones cujusdam Doctoris, Ludovici Molinæ nuncupati, Theologi de Societate Jesu, quas defendit in suo Libro, cui titulum inscripsit: CONCORDIA Liberi Arbitrii cum Gratiæ donis &c. & adversus alios ejusdem novæ doctrine sectatores, ac defensores de eadem Societate.* Visitur etiam unum ibi ac distincte legitur Joannis de las Cuentas chirographum ordine undecimo, in hunc modum: *E. Joannes de las Cuentas Magister, & quondam Provincialis, ac Serenissimo Principi Cardinali Duci Austria a Confessionibus.* Hunc ergo nobis, si Superis placet, Molinæ approbatorem venditent Moliniani, ut de Prædicatorum suffragio sibi plaudant, quos adversarios adeo soletos, & experditos experti sunt.

Ut ut est, librum suum de CONCORDIA Liberi Arbitrii cum Gratiæ donis, intra breve tempus variis typis edi curavit Ludovicus Molina,

ut

ut doctrinam suam late diffunderet. Post consummatam anno 1588. Ulyssipponensem editionem, additam sequenti anno 4a defensionis Appendicem; alteram Lugduni edi curavit anno 1593. tertiam Venetiis ad calcem Commentariorum suorum in primam S. Thomæ partem anno 1594., quartam demum Antverpiæ anno 1595. In Venetæ editione multa et libro CONCORDIÆ detrahit, quæ primæ parti inferuit. In Antverpiensi vero nonnullas Disputationes adiecit, multa licet expunxerit, contra communem Theologorum doctrinam asserta. In singulis porro editionibus Disputationum invertit ordinem: Ex quo factum observat Thomas de Lemos, (1) ut dum in Congregationibus Molinæ locum juxta unius editionis fidem impugnationes ejus afferrent, editionem alteram, additionibus, & ordine diversam, defensores illius exhiberent, ubi & difficulter inveniebatur, ac faspius aliter legebatur.

Statim atque prodiit Molinæ Liber, inventæ Scientiæ mediæ famam adeo communiter apud suos obtinuit, ut ipsius etiam vocarentur nomine, quotquot eam tuebantur, donec hæc illi gloriam invidens Petrus Fonseca gravissimam litem moverit. Et quidem hæc ille Eborac suis tradiderat auditoribus anno circiter 1560., quos inter cum esset Molinæ, suam ex eo fecit, primumque dedit in lucem. Quo excitatus Fonseca spoliatum suo se honore vidit, & Thomachus discipulo, quidquid in novo invento gloriæ erat, repetere voluit. Quare Metaphysicam suam edens, rem, uti adærat, exposuit, sequæ illius Auctorem professus est. (2) Verum sero laudem sibi quaesivit bonus homo; cum Molinæ liber toto jam orbe volitaret, eoque Scientiæ mediæ inventoris titulo ubique celebraretur. Molinæ tamen condonandum existimaverim. Ita quippe Scientiam mediæ a Fonseca susceptam, ut informem viri factum, lambendo formavit, ac fovendo vestivit, ornatumque dedit in lucem, ut suo plane jure usus videatur, dum quem aluerat, vestiverat, ornaverat factum, sibi demum arrogavit, ejusque defensoribus nomen dedit.

Feret hic de hujus Auctoris periculosis opinionibus differendum, nisi quo loco de Congregationibus, ad illarum damnationem celebratis, dicturi sumus, actum rezgere cogere. Dicam interim, quod ab ullo negari vix potest, Molinæ præcipuum institutum fuisse, novam de Divina Gratiæ Theologiam inducere, trias Majorum vias occludere, ignotas, ac salebrosas calles aperire, sequæ demum in Augustinum, cæteroque Pelagianismi debellatores amicitiosius efferre.

In quem idcirco illud Theodoretæ de nonnullis merito cadat: *Neminem volumus ex antiquis Patribus sibi comparari, neque illos, quibus nos ab inveniæ atate usi sumus præceptoribus, sibi pares existimari sinunt; immo vero ne unum quidem Collegarum nostrorum vel ad mediocrem sapientiam pervenisse censent; sed se solos ipsos sapientes, & sibi solis ea doctrinæ partem mysteriorum, quæ in nullis unquam sub sole cognitionem, ac mentem vixerint, arbitrantur.* Lib. 1. Hist. Eccles. cap. 4.

Ea de re sibi metipsum gratulatur, ac plaudit vanus homo post explicatos novos minervæ suæ conatus; ut vix nuper Erratorum emendatoris auctorem fati capiam, qui nos ea parte calumniam postulat, & Concordiæ Librum nunquam a nobis evolutum exprobat. Nos, inquit, pro nostra tenuitate rationem totam conciliandæ libertatem Arbitrii cum Divina Gratiæ, Præsentia, & Prædestinatione tradidimus, sequentibus principiis, ex quibus

ea deduximus, quæque variis locis tradidimus, immo si judicavimus. Quæ si data, explicataque semper fuissent, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque ex Augustini opinione, concertationibus cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque descisissent; faciliusque reliquæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epistolis Prosperi, & Hilarii mentione, fuissent extinctæ, ut patet ex eis, in quibus homines illos cum Catholicis convenisse; & ab illis dissensisse, eadem Epistola testatur: concertationes denique inter Catholicos fuissent compositæ. . . . Longior sui in hac Disputatione, quam optaram; Quia tamen res est magni momenti, ac valde lubrica, & hæc nostra ratio conciliandæ Libertatem Arbitrii cum Divina Prædestinatione a nomine, quem viderim, huc usque tradita; ideo satius hæc duci paulo susius explicare, ne forte eorum pressor explicatio efficeret, quominus mens nostra ab his, qui minus ingenio polent, perciperetur.

Et paulo antea S. Licet. *Quamvis si hæretici, qui vel Divinæ Gratiæ, vel Libertati Arbitrii præjudicium afferre moliti sunt, ex Scripturis sanctis, principisque fidei efficaciter sint expugnati; haud tamen scio, an explicata penitus, & abundo reddita ratione integra Libertatem Arbitrii cum illis tribus, & hæreticis aditus, quo facilius ad pacem, unitatemque Ecclesie redirent, sit patefactus; & concertationes, quæ ante mille annos inter vivos Catholicos obortæ sunt, quantum par est, sint compositæ.*

Augustinum, veluti tenebris nescio quibus immersum, festive, ac petulantur excipit nova luce perfusus homo, i. p. q. 23. art. 4. disp. 1. memb. 6. ubi cum statuisset, vocationem ad Gratiam ex consideratione usus Liberi Arbitrii factam esse, ut rigorem, atque duritiam, ut ait, Prædestinationis omnino gratuita emolliret, hominumque animos plene sedaret; de Sancto Augustino ita subjungit: *Interea vero sub ea quasi caligine D. Augustinus hoc non attendit, eam scilicet Prædestinationis duritiam amovendam; quam si S. Doctor, ut ipse quidem autumat, observasset, vocationem ex præsentia usus Liberi Arbitrii factam esse, sine dubio pronunciafent. Tum demum injecta dubitatione, an gratuitam plane vocationem Sanctissimi Doctores, Augustinus, & Thomas reipsa docuerint, difficultatem audacia perumpit: Esto inquit, *bi duo Patres in eam sententiam inclinassent, salva eorum reverentia, quæ illis debetur maxima, quoad illud secundum admittendum non esset. Neque enim miror, opinionem illam, eo pacto intellesant, a multis duram nimis, indignaque divina clementia judicari. Quod iterum de D. Thoma, cæterisque communiter Theologis aperte pronunciat: *Sæva, inquit, reverentia, quæ D. Thome debetur magna, non miror, si communior Scholasticorum sententia, præsertim eo modo intellecta, quo verba D. Thome hæc loco ad tertium sonare videntur, a multis dura nimis, indignaque divina bonitate, & clementia judicetur.***

Fuere quidem, qui Societatem priora illa in Augustinum, totamque Ecclesiam contumeliosa verba e posterioribus Molinæ editionibus expunxisse dicerent. Id Vincentius Baronius admodum exaggeravit, sui que nominis auctoritate traxit incautos. (3) Verum afflicte sibi fraternæ charitatis intercessere, nec sine Thomacho, Ferreiræ, Gabriel Henao, cæterique plures Societatis Athletæ. (4) Gratulor quidem, si veritatis studio facta est intercessio; nihil quippe usquam expunctum observo, at si probandæ vanitatis animo, indignor vehementius. Venia tamen aliqua dignus est Baronius,

(1) Tract. 6. de P. Molin. cap. 1. (2) Lib. 6. cap. 2. q. 4. (3) Baron. in Apolog. Ord. Præd. 2. part. lib. 4. §. 3. Gonet. Disp. 6. de Scien. med. art. 5. §. 7. Paulus Fajscan in author. exort. (4) Ferrer in post. Resp. ad object. vinc. Gañor. Henao de Scien. med. prob.

(1) Regula Juris in Sexto. (2) Ripalda. Paul. Leonard.



nus, qui prævious assertionis suæ testes habuit Theologos Salmanticenses, apud quos ita legitur: (1) *Adversum sibi Augustinum ingenus falsus est primus ille, ut ipse credit. Scientia-medie Patrum, Molina, in sua prima CONCORDIA, Ulyssipone typis mandata: quævis postea experimento cernens, quantum inde sue sententiæ præjudicium sequeretur, id in Lugdunensi impressione subiecit. Quo loco non absumptimè deductus est Franciscus Macedo, Ordinis Minorum Theologus eximius, Collatione 12. diff. 1. lect. ultima: Id tamen observandum, inquit, tantam fuisse erga Augustinum Societati reverentiam, ut jussit, Molinæ CONCORDIAM, quæ primis typis Ulyssipone cusa fuerat, recognosci ab eo, & quæ minus de Augustino honorifice scripserat, auferri; & novitatem, quam jactabat sue doctrinæ, ad antiquum Patrum, & Scholasticorum sensum, ac in primis Augustini reduci, ut in secundis typis apparet. Quod ante hæc Salmanticenses in suo illo excellenti de Scientia-medie tractatu observarunt. Editionem Lugdunensem appellant Theologi Salmanticenses: quam vero, non indicant. Certe nullam ibi, vivente Molina, curatam novi, nisi quæ ex officina Buissonii anno 1593. prodit: at hæc, uti & altera apud Proffium anno 1622. curata, eandem cum Ulyssiponensi lectionem retinent: adeo ut plane nesciam, unde illa Salmanticensium aberratio fluxerit.*

Nisi forte non ipsiusmet Concordiæ, sed Commentariorum in 1. part. D. Thomæ editionem intellexerit; ubi pars maxima Membri ultimi Concordiæ Molinianæ frustratim inserta est Membro 13. Disputationis 1. ad art. 4. & 5. quaestiois 23. D. Thomæ, toto illo expuncto Concordiæ Paragrapho, cujus initium est, *Nos pro nostra tenuitate &c.* Verum tot alios ejusdem inserti Membri Paragraphos, Augustino nequaquam injurios, reflectos deprehendimus hoc ipso in loco, ut perspectum omnino sit, non emendationis, sed brevitatæ gratia, factam esse resectionem; ac ne prolixum adeo Membri de integro transcriberetur. Typographus etiam Lugdunensis, qui sub horum Commentariorum finem Molinianæ Concordiæ partem dedit, totum illud membrum ultimum, una cum contumelioso illo Paragrapho, inseruit pag. 855. sic, ut isdem, ac cæteræ omnes foribus inquinata prodierit Editio Lugdunensis anni 1593.

Cæterum non æqua fuit domesticarum de inducenda novitate gloriatio. Scientiam-mediam, Molinianæ doctrinæ caput, novis revelationibus et tenebris eruat, atque ante id temporis a Theologorum nemine vel per somnium excogitatum, ac usurpatam agnoscent Fonteca, Valques, Granado, Herice, Tiphanius. Loca priori Editione ad marginem indicaveram: Verum quandoquidem commentitorum Errorum observator nobis mendacium exprobat, verba subijcio.

Fonteca Tom. 3. Metaph. Lib. 6. Cap. 2. Quæst. 4. Sect. 8. posito Scientia-medie systemate, quod a se ante annos triginta excogitatum monet, hæc habet: *Unum illud scrupulum injiciebat, ne hac ratione novum aliquid fortasse induceretur, quod non omni ex parte cum communi Patrum doctrina, aut diligenti scholasticorum examine, & accurata lima conveniret. Neque enim quisquam erat, qui hoc pacto Libertatem Arbitrii nostri cum divina presentia, aut providentia aperte, & ut dicitur, in terminis conciliasset.*

Valques 1. part. Disp. 67. Cap. 4. de scientia, quam, inter visionem, & intelligentiam, mediam vocant, sermonem habens, *Quod enim,*

*inquit, antiqui scholastici, qui hactenus scripserunt, tantum meminerunt simplicis scientia visionis, & simplicis intelligentia, parum interest: cum quæ illi de hac scientia sub conditione nihil omnino disputarunt, aut meminerunt. . . . Quid igitur, si nos aliam ponamus, cujus ipsi mentionem non fecerunt, neque negarunt?*

Granado Part. 1. Tract. 5. Disp. 3. Sect. 2. Suarezium impugnat, qui Scientiam mediam D. Thomæ, veterumque Theologorum suffragio communire satagebat; atque: *Fateor, nullum ex his testimoniis multum urgere. Tum paucis interjectis: Nec mirum est, inquit, si temporum decursu aliquid novi a Theologis recentioribus excogitatum sit, præsertim si firmis nitatur fundamentis, ut nostram hanc sententiam nitri persuadent multa, quæ subjicimus. His adde expressum S. Thomæ pro nostra sententia testimonium.*

Herice 1. Par. Tract. 1. Disp. 7. Cap. 1. N. 7. & 8. *Præiores Scientia-medie parvi e nostra Societate sunt. Hos inter princeps Pater Molina. . . . deinde Petrus a Fonseca. Mox de hoc ultimo istud observat: Post relata Patrum testimonia pro nostra sententia satis expressa, in admirationem raptus, antiquos Theologos ait ad hæc non attendisse; & scientiam hanc e tenebris, in quibus tot sæculis jacuit, non eruisse. Ac demum, hoc epiphonemate narrationem concludit, post recensitos e Societate Scientia-medie defensores. In qua re divini veneror submisit providentiam, & singulare ipsius beneficium in nostræ Religionis Magistrorum collatum, agnosco. Nam quo tempore duo Lutheri pestifera dogmata, satanicæ flammæ succensa, magnum seditionum incendium excitarunt, & Ecclesiam Dei in multos annos fatigarunt: alterum, quo sub falsa Evangelii specie, homines ab Ecclesiæ reverentia, atque obedientia subtrahere conati sunt, & Romani Pontificis potestatem elevari; alterum, quo Liberi nostri Arbitrii indifferentiam in operando funditus evertere, remque esse de solo titulo, & jam non liberum, sed servum arbitrium appellandum esse: hoc ergo tempore, cum venenum suum magna dissimulatione propinabat Lutherus, serpsitque malum in partes, (tantum in animo, pietatis vinculis exsoluto, impetens potest audacia!) contra utramque dogma, minimam nostram Societatem, divino nomine insignitam, evexit Conditor omnium, & instruxit Dominus exercituum; eamque Sanctissimus Ignatius, fundator noster egregius, tam arcte dedidit Romano Pontifici, ut quarto solemnium obedientiæ voto contra Lutheri inobedientiam obstrinxerit, atque sacravit: & doctissimos ejusdem familiae scriptores, ut canes ad custodiam, adversus hos Lupos advigilantes, caelesti lumine persuderit, hanc illustrari scientiam, qua Libertas arbitrii contra Lutherum, & Calvinum, aliisque sectarios defendi potest. . . . Itaque ut singulari obedientia venenum inobedientiæ, quod homines imbibebant, sanavit Ignatius; ita hac scientia conditionali satanicum dogma contra Libertatem funditus evertitur.*

Tiphanius Libro de Ordine, deque priori, & posteriori Cap. 24. distincte pronunciat: *nullum alium Theologum aut Molinam, ne per somnium quidem, de Scientia-medie cogitasse; nec illam ulli vel supposuisse, vel addidisse.*

Sic illi Scientia-medie novitatem non agnoscunt modo, verum etiam (si Tiphanium, cui Molinianum inventum stomacho fuit, exceperis) ambitiosius obtentant. Cautioribus tamen Molinianæ doctrinæ defensoribus displicet sincera nimis, veraque confessio, ne apud æquos ælimatores turpiter ex acie decendant. Quare Augustinum, cæteroque Pelagianæ sectæ debellatores in Mo-

Molinæ partes trahere satagunt, a quibus remotissimum jactavit; antiquam doctrinam predicant, quam novam auctor agnovit; novoque, & inaudito patrocinandi genere, Molina (si Superis placet) contra Molinam defensionem assumunt.

Quid enim, amabo, est, quod, ne Magistri confessionem fibi contrariam fateantur, obtrudere solent cautiore discipuli? Molina, inquit, (1) non ignotam Augustino Scientiam mediam, sed ab eo non usurpatam dixit; nec se rei, sed nominis inventorem asseruit. Jam itaque non inficitur, sed imprudentiæ, ac nequitia reus agitur Augustinus. Si etenim Scientiam-mediam revera novit, ac velut expeditam concordiam viam probavit, qua & præfidi Pelagianismus, & præcaveri Calvinismus, fidelium etiam perturbationes, concertationes, atque a fide defectiones devitari facile possent, nã illum, quæso, imprudentem, & iniquum, qui, regia neglecta via, illam iniiit, unde tot in Ecclesiâ mala, tot scandala, tot diffidia derivarunt? Aut quæ tanta vocis hujus energia, ut ejus unius apud veteres ignorantie subortæ hæreses, excitata diffidia, existimari merito possint?

## CAPUT XIV.

*Molina CONCORDIA a viris in Ecclesia maximi nominis statim male habitæ ab gravissimam suscitavit Pelagianismi suspicionem.*

**A**lterum in Molinæ CONCORDIA longe gravius vitium, statim atque publice prodit, observatum fuit: non illud quidem ex intricato meditato, sed oblique ex imprudenti Calvinismi impugnatione consecutum; Pelagianismi, videlicet, restitutum. Fuit illa (ut nihil interim de Congregationum Judiciis intemptive proferam) celeberrimum Virorum, ac Societatis amicorum opinio, cum primum lucem aspexit.

Judicium ea de re dixit Eminentissimus Annalium Patens ad annum 490. num. 32. ubi Molinam, ejusque discipulos tacito nomine carpit: *Cum, inquit, Sancti sententiæ ubique ab Ecclesia Catholica fuerit contradicendum; videant, quanto periculo quidam ex recentioribus, dum in Novatores insurgunt, ut eos confitent, a S. Augustini sententia de Prædestinatione recedunt; cum aliquam arma non desint, quibus adversarii profingentur.*

Hoc loco Socios indigat Vir eruditus, qui Molinæ sui commenta ad Semipelagianismi vindicias usurparunt. Mira res, sed interim lugenda! Quo primum tempore prodit Ulyssipone Molinæ Concordia, eodem illo, velut ex condico, Romæ Societatis curis, Cassiani Opera prodire, Stephani Tuccii, libri De ratione studio promotoris acerrimi, notis Apologeticis illustrata; quibus errores ejus, ab Ecclesiâ prædamatos, peregrinis expositionibus, & Moliniana CONCORDIA petitis, emollire, ac vindicare satagebat. Locupletissima fidei auctore utor; non quidem (ut mihi ingenti temeritate affingit Censorii Indiculi fabricator) Antonino Reginaldo, quem ne vel ex nomine appellavi, sed Thoma de Lemos, qui hoc ipsum Societati vitio dedit in solemnium Congregatione, habita coram Clemente VIII. die 10. Novembris 1603. (2) Baltida publico Jesuitarum Actore nihil in oppositum reponeute, Stephanus Tuccius, ajebat ille, qui eodem anno, quo Molina in Hispania, videlicet anno 1588, Serry Tom. I.

*hanc Concordiam in lucem dedit, in hac alma Urbe in lucem protulit Cassianum: ut videlicet eodem tempore & Magister Cassianus, & ejus discipulus Molina in lucem mandarentur. Ipse Stephanus apposuit quasdam annotationes, quas Conciliationes Cassiani vocavit; & in secunda Annotatione plane concedit, quod dispositio remota ad gratiam debet in homine concedi; & quod illa est quoddam initium reverendi ad Deum. Quibus similia habet in Panoplia Tom. 1. Tract. 6. Cap. 2. Illud ad presens notandum esse putavimus, illo eodem anno, quo Sixtus V. silentium in hac parte & Lovanien-sibus, & recentioribus Lovanii commorantibus imposuisset, eo, inquam, anno recentiores Romæ curasse, & fecisse, typis mandari Cassianum cum Annotationibus illis Stephani Tuccii, de quibus jam supra mentionem fecimus; & illo eodem anno Ludovicum Molinam in Hispania prædictum Librum Concordiæ edidisse. Utcumque porro se res habeat, extrat in hanc diem curata illa Typis Vaticanis Editio Cassiani an. 1588., Apologeticis taciti Auctoris Annotationibus aucta, quas ab Henrici Cuykii Episcopi Ruremondensis, Observationibus toto cælo diversas, & Moliniana Concordiæ principis adeo consonas, data opera, demonstravimus in Gallica Responione; (3) ut alterum alterius arasse vitulo, nemo neget; seu Apologista Conciliatorem excerpserit, seu Conciliator Apologista. De his locutus mihi visus est idem ipse purpuratus Historicus tom. 6. Annalium, (4) quem sexto post anno publici juris fecit. Falli certo scias, qui ex eo, qui præ manibus habetur Collationum Liber Cassiani, defendit, ipsam fuisse omni ex parte Catholicam; ut videre potest in Appendice ad Cassianum, Romæ editam. Nec alio ex fonte deinceps ebibere, quotquot Cassianum, Faustum, Gennadium, editis Apologiis, absolverunt, Prosperumque ostantiæ, ac nimia in legendo Cassiano levitatis arguere; uti Thomas Pio quæst. 23. primæ partis, Joannes Baptista Guesnai in Cassiano illustrato, Rodericus Arriaga tom. 1. in primam partem, disp. 36. num. 11. Jacobus Sirmundus in Historia Prædest. cap. 3. Ludovicus Cellotius lib. 2. Gottesc. cap. 4. Gregorius Martines part. 2. quæst. 109. art. 6. dub. 3. Curiel ibidem; Christophorus Ortega tom. 2. contr. 7. disp. 3. quæst. 2. cert. 2. Adeo ut primos Molinianæ CONCORDIÆ fructus Semipelagianæ sectæ Principes pro sui liberatione reportarint.*

Quantum porro Semipelagianis, Molina suffragatore, acclamatum est; tantum Augustino ab istem recentioribus insultatum. Legat, qui eo non prorsus stomachatur argumento convitiarum plautrum, quo sanctissimum Doctorem onerarunt Molinianæ scholæ Antistes Joannes Adamus in libro, Gallice inscripto: *Calvin desait par soi-même & par les armes de S. Augustin, qui il avoit injustement usurpées, sur les matières de la Grâce, de la Liberté, & de la Prædestination*: hoc est, *Calvinus destructus suismet, & S. Augustini armis, ique idem injuste usurparunt, in his, quæ ad Gratiam, Libertatem, & Prædestinationem attinent*: Franciscus Annatus libro prælerim 8. sui Augustini a Bajanis vindicati; Stephanus Dechamps de hæresi Janæ. Joannes Martinonius, sub Antonio Moraines larva delitescens in Anri-Janenio, ab Eminentiss. Card. de Noris, distinctum convitiarum cienchum exhibente, confutari: alique obscuro nominis scriptores, quorum propositiones viginti duas confixit Vallisoleana Hispaniarum Inquisitio die 28. Martii an. 1650. uti injuriosas sanctitati, pietati, & doctrinæ unius columnæ Ecclesie.

(1) Ferrerius lib. 2. de Scient. med. disp. 5. cap. 14. Menao prot. 2. & Event. 19. & alii passim. (2) Lege Litarium disputat. Lemolii p. 564. (3) art. 23. (4) Ad ann. 433.

(1) De Scient. Dei tr. 3. disp. 10. dub. 3. §. 1.